



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1680

Baptistæ Poggii Ad R.P.D. Cardinalem Papiensem Cardinalis Firmani vita
incipit feliciter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14718



BAPTISTÆ POGGII

A D R. P. D.

CARDINALEM PAPIENSEM

CARDINALIS FIRMANI

vita incipit feliciter.

P R Æ F A T I O.

Cum multos nostra & majorum memoria fuisse constet qui maximis in rebus domi forisque summa cum laude sint versati, soleo plerunque eorum, ut ita dicam, infelicitatem mecum ipse reputare quod nulli aut admodum pauci sint niverenti quorum vitam aliquibus litterarum monumentis illustrare contigerit, cum tamen plurimos doctrina & ingenio præstantes habuerimus, qui in eis hominibus recensendis ingenium exercere potuissent. Verum ii, nescio qua spe ducti, aut illa antiqua repetere aut hæc omnino tacere maluerunt. Quod si illorum fuit iudicium non fuisse ullos dignos quorum vita merito litteris mandari à doctis viris potuerit, ideoque vel nullam vel omnino parvam ex iis quæ scriberent gloriam se sperabant consecuturos, equidem meo iudicio plurimum errasse deprehendentur. Neque enim video cur Franciscus Petrarca, Dantes, Boccacius, ut alios præteream, multorum qui & ante se & suis temporibus floruerunt jure vitas scribere non potuerint, si vera sunt quæ ipsi de nonnullis

R iiij

breviter tradiderunt, aut quamobrem Leonardus Aretinus, qui Francisci Petrarchæ, Iannotius, Manettus Nicolai quinti, Fatus Alphonfi, Campanus Brachii, Platina Pii ac Victorini vitas eleganter summaque cum doctrina memoriæ mandaverunt, sua gloria potius sint fraudandi (invidia & livor absint) quam ex Latinis Spartianus, Lampridius, Suetonius; ex Græcis verò Laërtius, ceterique qui antiquorum vitas ac gesta copiosissimè perscripserunt, aut quamobrem qui ex nostris clari inter alios excelluerunt, non eandem atque illi gloriam benefactorum dictorumque sint habituri. Quis est enim ita malevolus qui & eorum quos commemoravi & multorum aliorum virtutes, quæ plurimæ sunt, mores, doctrinam, gesta indignas doctorum virorum commemoratione dicere audeat? ita etiam fastidioso stomacho ut ea referri aliquando æquo animo non patiatur; quandoquidem in dies Neronis, Caligulæ, Commodi, Heliogabali, & similibus portentorum memoriam refricari auribus suis non solum non molestè ferant, verum etiam libenter audiant. Equidem haud abnuerim, quòd ipsi sæpius afferre solent, illorum temporum magna ingenia, maximis etiam in rebus versata, materiam scriptoribus uti amplam, ita & admirandam præbuisse; nec eo inficias quàmplurimos ex illis omni virtutum genere excelluisse. Illud tamen affirmo, fuisse multos ex nostris, sive ii domi sive foris sint versati, qui nequaquam vel rerum gestarum gloria, vel doctrina, vel sanctitate vitæ multis, quos ipsi summis laudibus prosequuntur, postponendi viderentur, si modo ea scriptorum ingenia nacti forent. Quis enim est qui Albertum Magnum, Thomam Aquinatem, & item Ægidium Romanum, multos præterea philosophos, à quibus tam virtutum quàm doctrinæ omnia exempla capi potuissent, Xenocrati, Diogeni,

Chrysippo, & aliis hujusmodi non anteponat? Quis Federicum Barbarossam, Gottifredum Bulionium, Tambellanum Xerxi, aut Cyro, Pyrrho, de quibus tam multa feruntur, comparandos negabit? Quis Galeazum Virtutum Vicecomitem ac Philip-pum Mediolani Ducem, ut alios penè innumerabiles præteream, indignos judicabit quorum facta celebrari à scriptoribus debeant? Igitur cum multos habuerimus quorum vita omni laude & veneratione sit censenda dignissima, in iis verò nostra ætas Dominicum Capranicensem Cardinalem Firmanum, vitam vitæ exemplaris, integritate, fide, doctrina singulari, tulerit, ejus vitam litteris mandare institui; non quòd illi immortalitatem meis scriptis polliceam, quam sibi ipse sanctissimè acta vita comparavit, (id enim majoris foret ingenii) sed ut ejus laudem jam propè senescentem, quantum ego possem, à silentio vindicarem; simul ut alios, qui multi sunt, ingenio & doctrina præstantes ad hæc aggredienda invitent. Nam si quisquam, non solum iis temporibus, sed multò etiam superioribus fuit cujus vita recenseri à quoquam & laudari meritò possit, hic est profecto. Nemo enim illo castior, nemo sanctior, nemo denique omni virtutum genere fuit ornati-or. Non tamen in ejus explicanda vita sectari minima quæque est animus, quod multos ex antiquis illis fecisse legimus. Nam & infinitum esset opus; & multa de ipsis scripta libenter audimus quæ de nostris non sine audientium stomacho à nobis recenseri possent. Te verò, Reverendissime Pater, potissimum elegi ad quem hoc quicquid est operis mei destinarem; quod & me tibi plurimum debere cognosco, & cui æquius ea dedicem non video quàm ei qui & dignitate par illi nunc est, & cum eo quondam familiarissimè in omni vita vixit, multarumque ejus viri virtutum tamquam hereditarium mu-

nus suscepit. Te namque solum docti homines his temporibus patronum habent. Tu unus eos amplecteris, foves, ac tua liberalitate sustentas. Tu humanitatem conjunctam dignitati possides: In omnem fastum, omnem superbiam contemnis. Tu mitis, tu placidus, tu comis, omnes excipis & alloqueris. Quare cum aliquando curis quas secum ista dignitas afferre solet & negotio vacaveris, hæc percurres; quæ si tibi probata esse cognovero, est quod plurimum gaudeam. Perspexi enim tuam in me benevolentiam, novi doctrinam, novi judicium animi tui; nec invidorum aut malevorum morsus pertimescam: quin potius hoc meo studio & labore delectabor, quo memoria viri optimi ac sanctissimi aliqua ex parte renovari videbitur, & alii multi excitari, qui vel hæc eadem copiosius elegantiusque rescribant, quò Latina lingua abundasse præclaris ingeniis nostra tempestate aliquando judicetur, vel multos præstantes viros meritis laudibus prosequantur; quorum præclarissimè amplissimèque acta vita ad hanc diem proprio honore fraudata, si celebrata à scriptoribus fuisset, non omnino antiquis illis quos tantopere admiramur, dissimiles domi forisque crederemur.

*DOMINICI CARDINALIS
Capranicæ vita incipit feliciter.*

I. **D**ominicus anno salutis millesimo quadringentesimo pridie Kalendas Junii natus est. Patrem habuit Nicolaum ex familia Capranicense. Hoc sub parente piè & castè nutritus, primam infantiam transegit. Mox, ætate adhuc puerili, ad litteras addiscendas addictus publicis sub præceptoribus, grammaticæ, inde rhetoricæ operam dedit; tantumque in iis studiis profecit quantum & ejus ætas tenera & adhuc rudis, conditio temporum ferebat,

quibus nullo aut parvo pretio eloquentiæ studia ad eam diem fuissent. Id tamen est assecutus, ut si illum licuisset in iis studiis perseverare, eloquentem fuisse evasurum ex iis quæ postea scripsit appareat. His ergo studiis peragratis, ad jus civile & pontificium animum adjecit. Igitur Patavium profectus, biennio Iulianum Cæsarinum audivit, virum uti doctrina, ita vitæ sanctitate venerandum, quicum postea Cardinalis est creatus. Intellecta deinde Iohannis Imolenfis fama, Bononiam concessit, & illum continuum triennium audivit tantò studio ut nunquam scholam eo absente ingrederetur. Ita verò illum toto eo tempore observavit ut ab ejus latere nunquam ferme discederet; & aliquando Iohannem ad amicos conversum dixisse ferant, vel se omnino falli, aut videre adolescentem magno sibi honori futurum. Fuit enim illi à pueritia ingenium perspicax, lingua acuta & prompta, iudicium incorruptum, præterea studiorum tanta cupiditas, ut plerunque vel totas noctes insomnes legendo transigeret, si quando verò somno vinceretur, sedens capite ad parietem reflexo per horam dormire consueverit. Ita cum eo tempore tantum profecisset ut nulli ejus sectæ secundus haberetur, insignia iis qui ad extremum studiorum tantorum pervenerint concedi tanquam emeritis solita accepit, annos natus viginti duos; statimque acceptis litteris à Martino quinto, qui ex Concilio Constantiensi rediens Mantuæ substiterat, ad illum proficiscitur, à quo Camera Clericus est factus. Est autem is magistratus qui ea tempestate in Romana curia & dignitatis magnæ esset & gratiæ. Rerum namque omnium Ecclesiæ ac Pontificum veluti Quæstores urbani, libros in quibus rationes publicarum pecuniarum continentur tenebant, lustrationem exercituum, urbis, provinciarum omnium curam suscipiebant. Quæ

omnia temporum culpa penè amiserunt. Inde in Secretariorum numerum adscitus, clarissimis totius orbis viris collega additur, & qui non minus dignitatis existimationisque ei officio attulerunt quam ipsi ab eo loco ornamenti acceperint. Hi fuerunt Leonardus Aretinus, Cincius Romanus, Antonius Luschnus, Vincentius, & parens meus Poggius Florentinus; cum quibus nec satis longo intervallo in eum ordinem lecti, Iacobus Languischo Veronensis, Blondus Forliviensis, & alii multi simul floruerunt, qui unà cum eo sunt extincti. Nam posteaquam à Calixto, nullo aut hominum aut loci habito respectu, sordidissimis multis in eum ordinem lectis, ad cohortis prætorie modum numerus est institutus, quæ quondam maxima in curia Romana erat, dignitas esse desit, & in nullo honore haberi. Et qui deinceps rerum potiti sunt, rati oblatam sibi honestam causam quò tantam gentium colluvionem comprimerent, ad unum omnibus collatis, eum ordinem funditus sustulerunt. Non tamen omnino desperandum est futurum aliquando ut amplissimus ordo in antiquam dignitatem restituatur, quandoquidem & summa ipsius loci auctoritas & memoria multorum virorum excellentium, qui maximo ornamento quondam Pontificibus fuerunt, aliquos excitaturæ fore videantur.

An. 1423.

II. Igitur cum Secretarius esset, cum Leonardo Datho, qui eo tempore & sacrarum litterarum scientia & sanctitate vitæ clarissimus ordinis Prædicatorum, ut appellant, Generalis erat, ad dissolvendum generale Concilium à Pontifice Senas mittitur, in qua tum urbe convenerat ex nonnullorum Italiae Principum & Prælatorum voluntate, qui ægrè ferrent à Pontifice sperni quæ quondam de communi omnium voluntate accuratè optimèque in eo Concilio decreta erant cujus auctoritate ad pon-

rificatum electus foret. Eo igitur ubi ventum est, sua prudentia effecerunt ut omiſſa ejus rei mentione, id in civitate Germaniæ Baſilea ſeptennio poſt conventurum indicerent.

III. Romam inde Dominicus rediens, Protototarius factus, in Flaminiam pro Legato deſtinatur, ut Forlivium Imolamque urbes à Philippo Duce Mediolani noviffimè reſtitutas Pontifici adminiſtraret & in fide contineret, quod ejus maxima diligentia factum eſt. Nam cum de pace inter Ducem & Venetos Florentinoſque belli ſocios conveniſſet, & Bononia Baptiſtæ Cannetuli opera à Pontifice deſeciſſet, expulſis adverſæ factionis principibus, qui partes Pontificis ſequebantur, Flaminia etiam omnis ad defectionem ſpectaret, Dominicus ex templo contractis in unum præſentibus copiis (ii erant equites ſexcenti, qui Eccleſiæ ſtipendiis militabant) eas urbes in fide continuit, & innovare res molientes prohibuit; nonnullis ejus rei auctoribus ultimo ſupplicio affectis, accerſitis inſuper novis auxiliis à Carolo Malateſta, qui Ariminum Vicarius pro Eccleſia tenebat, contra Baptiſtæ & Bononiensium audaciam caſtellum ſancti Petri & caſtellum Bononiensium oppida defendit. Inſequenti deinde æſtate, majoribus copiis à Pontifice acceptis, duce Iacobo Caudola, Bononiensibus bellum inferre juſſus eſt. Igitur adjuncta ſibi exulum manu, quorum princeps erat Antonius Bentivolus, & ipſe à Baptiſta pulſus, agrum Bononiensium hoſtiliter ingreſſi, omnia ejus oppida, quæ aut vi capta fuerant, aut ſpontè in ditionem hoſtium venerant, receperunt. Ducto deinde propiùs urbem exercitu, cuncta igni ac ferro populati ſunt, ea potiffimum ratione, ut aut hoſtes ad pugnam elicerent, aut vaſtatione agrorum ad deditionem compellerent. Verùm cum nec direptio villarum, nec agrorum depopulatio, ullave

alia belli calamitas eos terreret, urbem obsidione cinctam pactione in fidem receperunt. Protractus est tamen ductorum culpa ad undecimum mensium obsidio, qui adeo infide bellum gerebant ut cum aliquando exules mœnia ascendissent, potuissetque parvo labore urbs capi, si auxilia petentibus subministrassent, castris egredi, Legato etiam detestante eorum perfidiam, noluerint. Quamobrem pluribus amissis, illi, mœnibus dejectis, sunt urbe potiti, tranquillatisque Romandiolæ rebus, obnavatam operam bene ac feliciter Firmi Episcopus declaratus, & procuratio urbis omnisque ejus regionis quam Ducatum Spoletanum vocant illi demandata est. Quam provinciam biennio ea vitæ integritate, continentia, justitia administravit quanta ad assequendam omnium provincialium benevolentiam fide sua incolumi fieri poterat ac reverentia. Nullius namque gratia, nullius precibus cum à justitia moveretur, æquabilem se omnibus semper præbuit. Id verò quod difficillimum videtur præstitit, quia varias quibus ea provincia abundat factiones adeo sedavit, atque eorum principes tanta benevolentia, sua humanitate, mansuetudine, prudentia invicem devinxit ut inter eos nullæ inimicitiarum aut irarum causæ remansisse viderentur, sibi que ac rebus suis optimè consultum à Dominico crederent & gloriarentur. Is namque cum specimen justitiæ, temperantiæ, continentiæ, Ecclesiæ Præsulum ferme provinciarum aut avaritia sua, aut luxuria, aut ambitione multarum perturbationum fuisse causas, cum quandoque præfiantur iis externarum gentium viri, qui aut precibus amicorum emendicati, aut aliquo modo potentioribus obnoxii, ut plurimum egenes atque omnium rerum inopes sint, nulla verò virtute sed fortunæ beneficio id muneris affecti,

arrogantes, superbi, contumeliosi reperiantur, ea-
que agant, ea aggrediantur quæ quivis prædo mer-
cenarius, non dignitatis, quam nullam cognoverunt,
non virtutis, à qua longè abhorruerunt, non pro-
vincialium, quorum cura non rapina illis demanda-
tur, sed suæ cupiditatis memores, se non provin-
ciarum administratores sed mercatores potiùs cre-
dentes, potissimùm attendunt quonam maximè mo-
do suam avaritiam aque egestatem expleant, in qua
continuè vixerunt: quæ etiam eò immoderatiùs
agunt quò magis successorem timent. Accedit præ-
terea, quod omnium cumulus est miseriarum, &
plurimos ad maleficiam impellit, quia oppressorum
voces aut ad Pontifices deferri nequeunt, aut si for-
tè devenerint, aulici quique principes circumstant,
plerunque sanguine miserorum empti, sive amicitia
ducti, sive ut iis idem impune facere liceat, Ponti-
ficum voluntatem, quamvis optimam, deprinere
non desistant.

IV. Ita cùm Dominicus eam provinciam admi-
nistrasset ut nec mitiùs aut æquiùs ab optimo patre-
familias domus regi & res administrari posset, tan-
taque fuisset lenitate, mansuetudine in omnes, ea-
que caritate ut à plurimis pater, à multis frater, à
nonnullis filius, excepta ea dumtaxat dignitate, di-
ceretur, nullum verò ejus factum atrox, nullum in-
justum, nullum avarum, nullum libidinosum, nul-
lum quoque insolens verbum, nullum impudens
quisquam vel audiverit aut viderit, adversùs om-
nem cupidinem atque avaritiam invictus vixerit, à
Martino creatus est Cardinalis secretus. Moris est
Romanorum Pontificum, multisque annis observa-
tum, cùm aut plures pro Cardinalium creatione sibi
sunt infensi, vel ipsi augeri collegii numerum agrè
ferant, Pontifices verò quempiam ad eam dignitatem
velint extollere & competitorum molestias evitare,

diffimulata aliquorum creatione de collegii sententiâ, quos volunt nominant Cardinales, præsentibus iurejurando adactis se illos pro Cardinalibus habituros nec obstaturos quominus in suum collegium recipiantur. Certum insuper tempus statuunt quo id palam fiat. Qui contrâ fecerint, sacris interdictum fore. Ita Dominicus Cardinalis creatus est. Convenerat verò inter Pontificem & Cardinales ne intra biennium pronuntiaretur Dominicus; quòd si interea motus Pontificem contingeret, liceret illum interesse pro Cardinali alterius electioni, ac deinceps talis haberi, idque jurejurando sanxerant.

V. Ceterùm Martino haud multò post mortuo, Dominicus dimissa provincia Romam venit, & ad ædem beati Laurentii via Numentana subsidens, et amicis quendam in urbem ad collegas misit, qui & publicè & privatim à singulis postularerit ut venirent sibi ad suffragia ineunda pro creando Pontifice liceret, simul & ostenderet illum sua humanitate petere ab iis quod scirent sibi liberum esse. Sed cum variis inter eos habitis sententiis, prout cujusque animus ambitione aut odio rapiiebatur, res longius trahi videretur, missis iterum ad omnes amicis communibus, qui aut id ab eis impetrarent, aut injustum se venturum exponerent, quamvis æqua postulare videbatur, tamen nonnullorum Cardinalium persuasionibus ab incepto destitit affirmantium, si hanc suam, quamvis justam, voluntatem paulùm differret, futurum ut faciliùs quod speraret assequeretur.

VI. Expectata ergo novi Pontificis creatione, cum Eugenius ordine quartus electus esset, statim ad illum misit qui primò ei pro tanta potestate adepta gratularentur, deinde peterent ut se cum Cardinalium insignibus ingredi urbem pateretur. Cum verò procrastinando nedum à Pontifice differri sua postulata videret, verùm etiam consiliis quorundam Cardinalium,

Cardinalium , qui Martino infensi fuerant , aures præbentem de se capiendo consilia agitare , omiſſa ejus rei mentione in provinciam reverſus , Montefalcum Ducatus Spoletani oppidum ſe contulit. Eò quoque cùm miſſos à Pontifice milites venire intellexiſſet & parùm abeſſe , ſimulato in propinquum caſtellum itinere , clam quatuor comitibus aſſumptis ad Soractis montem (is eſt in Falifcis) proficiſcitur , & in ſacello quodam ſexaginta dies continuos latuit ; omnia experiri ſtatuens quò Pontificis iracundiam & plus æquo inimicorum calumniis præbentem aures leniret ; qui ea ſpecie quò diceret Martini nepotes , quibuſcum bellum Eugeniſ inſeperat , ejus opera contra Eccleſiam arma moviſſe , omnia ejus bona publicaverat , beneficiis etiam ſpoliaverat. Sed cùm ejus leniendi nulla ſpes videretur , & apud iniquum judicem malis præterea uſum conſultoribus agi cauſam animadverteret , inita quoque de ſe interficiendo conſilia , Baſileam proficiſci conſtituit , quò aliquot antè annis illo auctore Concilium à Sena tranſlatum diximus. Verùm cùm priùs adire Ducem Mediolani placeret , qui tum maximè inſenſus Eugenio erat , impetrata à Senenſibus fide publica Sarteanum venit. Ibi vocatus per viatorem in judicium ab iis Cardinalibus quibus mandatum erat à Pontifice ut eam cauſam cognocerent , venire noluit , & codicillis manu ſua conſcriptis , quibus ad Baſileenſe Conſilium provocabat , ad eos miſſis , Plumbinum maritimum Etruriæ oppidum ſe contulit. Deinceps expectata triremi , quam ad eum Philippus mitteret , Genuam conceſſit. Ibi benignè exceptus à magiſtratibus , qui pro Philippo urbem adminiſtrabant , equis inſuper aliſque ad victum neceſſariis adjutus , ad Philippum terreſtri itinere Mediolanum proſectus eſt ; ab eoque humaniſſimè ac liberaliſſimè ſuſceptus hoſpicio , plures dies apud

illum mansit. Impetrata deinde abeundi venia, superatque Alpibus, per Helvericorum agrum Bafileam contendit. Vbi eò venit, illico apud Concilio præsidentes (ii sunt viri aliquot de Concilio sententia electi, virtute & doctrina præstantes, auctoritate etiam ac potestate maxima, ut ad quos à Pontifice provocatio est) Pontificis injuriarum conquestus, suam causam proposuit, quam triennium continuum ea modestia agitavit ut cum plerunque tanta inopia fuerit, interceptis Pontificis jussu tum paternis facultatibus tum proventibus beneficiorum, ut necessariis etiam ad victum indigeret, & Pontifex extorquere ab illo eam dignitatem vellet quam maxima post pontificatum sit, nemo tamen dictum quicquam ab eo asperius, nihil contumeliosum in illum aut inimicos audierit, quos plurimos habebat apud Pontificem potentes, qui suæ dignitati adversarentur, ejusque animum suapte natura initem & ad meliora promptum assiduis delationibus criminationibusque accenderent, tum etiam alios minorum ordinum, quorum natura est ut ex adversis aliorum rebus & miseriis suam potentiam crescere, & vel adulando vel detralendo Principum benevolentiam inire, & ambire dignitates velint. Vicit tamen Dominici constantia, & tandem ex Concilio sententia Cardinalis declaratur summo cum omnium inimicorum dolore. Nec multò post ab Eugenio vocatus Florentiam, ubi tum fortè degebat, in itinere, quem tanto labore ac periculo tantaque impensa defenderat Cardinalatus pileo puniceo (quod ejus dignitatis insigne est) uti cœpit. Impetraverant enim à Dominico Eugenio Legati, posteaquam Præsidentes pronuntiaverunt eum Cardinalem esse ac pileum ferre dederant, ne prius quàm Bononiam venisset, eum gereret, magna contentione habita ut hunc ab Eugenio accepturus Florentiam venire vellet.

VII. Assumpto pileo recuperatisque omnibus quæ quondam amisisset, aliquot annis quietam vitam duxit, studiis maximè ac rei familiari intentus. Nam cum parum acceptus Pontifici esset, ob eamque rem aliquid ab illo petere vereretur, quod facile negaturus videbatur, omnia negotia, omnem curam, tum privatarum suarum rerum, tum etiam amicorum prætermisit. Quod si fortè aliqui ad eum venient qui suo patrocínio apud Pontificem egerent, vel iis se surripuit, aut suam operam denegavit apertè; nec ullis precibus diù ab illa sententia dimoveri potuit. Vnde morosi ac difficilis nomen sibi. Quam etiam opinionem auxit, quia natura erat severus, nec ullius rei simulator aut dissimulátor, ideoque instantibus plerunque asper, ad injustas verò preces sicut inexorabilis, ira ubi quid ab eo pervacacius peteretur, ad iram pronus, sed quæ statim recideret. A luxuria omni alienus & ambitione, idem continentissimus, & alienæ luxuriæ acerrimus castigatō; idem minimè cupidus, sui tamen parcus. Verùm ubi illius integritas, fides, continentia omnibus nota esse cœperunt, summamque in eo viro tum prudentiam, tum modestiam esse apparuit, Pontifex illam pristinam duritiem in maximam benevolentiam convertit. Primò namque lenire odium, mox illum diligere carumque habere, demum illi plurimum credere cœpit, omnia ex illius voluntate agere, illius iudicium potissimum sequi. Itaque provinciam Picenum illi administrandam destinavit; deinde etiam exercitui Legatum præfecit quem contra Franciscum Sfortiam parasset, qui omnem ferme eam provinciam occupaverat. Ad exercitum igitur profectus, arbitratus se satis esse facturum si & hostes populationibus arceret & socios in fide tueretur, cunctando ac sedendo bellum conficere decrevit. Ita aliquandiu protracto bello,

cùm sua diligentia eò hostes essent redacti ut vel decedere provincia commeatum inopia vel se dedere cogerentur, ab exercitus ductoribus, qui se injullos pugnuros vulgò minabantur, mutare consilium est coactus. Vnde cùm potiùs improbare quàm non sequi eorum consilium posset, & ipse in pugnam cum aliis processit, nec quicquam prætermisit in acie quod ad optimum etiam ducem pertinere videretur. Sed illius optimam mentem haud par fortuna secuta est. Fusæ namque ac fugatæ Pontificis copiaz sunt, capta ac direpta impedimenta omnia. Ipse in super latus ac manum saucius, mutata veste è pugna Auximum se recepit. Plures in eo prælio occisi, multi capti, quorum magnum numerum sua ipse pecunia redemit. Plures etiam à Francisco liberi ejus gratia absque pretio abire jussi.

VIII. Missus iterum Perusiam, & illi oræ præfectus, præter antiquam illam in administrandis urbibus moderationem adhibitam atque diligentiam, plurimos magicis superstitionibus deditos, & in his mulierem quandam famosissimam, scelerum convictos igni damnavit. Id præterea in hujusmodi legatione continuò observavit ut bis in hebdomada Jurisconsultos omnes & eorum discipulos in palatium convocaverit, ac propositis quæstionibus eos disputantes attentissimè audierit, nonnunquam verò etiam ipse alteram partem tueretur. Interea cùm Asculum & Rochacontrada sua opera à Francisco descivissent, & multa ejus provinciæ exemplum securura viderentur, si ad quem deficerent in iis locis cum imperio forent, jussus transire in Picenum cum exercitu, Firmum compluraque ejus regionis oppida, impunitate proposita, partim deditioe civium, partim vi, in Pontificis potestatem redegit. Sed audita haud multò post Eugenij adversa valetudine, impetrataque abeundi venia, Romam concessit. Eu-

genio vita functo, creatus Nicolaus ordine quintus illum extemplo Tibur ad Alphonsum Regem Aragonum destinat, qui ægrotante Eugenio per speciem Ecclesiæ opem afferendi eam urbem ingressus, Nicolao restituere recusabat. Hic ergo cùm ad Regem venisset, sua auctoritate effecit ut eam urbem quam primùm Pontifici relinqueret. Post hæc reversus in Picenum ad reliquias belli prosequendas, omni vi oppugnare hostium loca aggressus, omnia de Ecclesia infra paucos dies recepit. Mox hostes certamen detractantes, desperatis rebus abire provincia compulit. Post eam recuperatam, singulas illius urbes circumvit, earumque populos pro cuiusque meritis sublevavit, res eorum stabilivit, dissensiones composuit, provincialium causas tum publicas tum privatas summa caritate & benevolentia audivit. Iuri autem reddendo plurimum temporis impartit, qui multos annos vexata bellis provincia sine legibus potentiorum arbitrio vixerant, singulos etiam infimi generis homines summa clementia ac patientia audiens, plurima quoque ipsorum æquitate & misericordia magis quàm legibus composuit. Nam quæ proficiscebantur à legibus, ad facilitatem æquitatemque referebat, & controversias tollere quàm litium actiones constituere malebat. Quæ autem ipse non poterat, suis audienda & cognoscenda distribuere. Nam tanta erat se sequentiam turba ut non minus trecentis hominibus in singulos dies audierit & eorum causas cognoverit, miserorum maximè patrocinio suscepto, quibus, cùm solvendo non essent, nec unde litium actiones sequerentur, se mediatorem posuit, ut æquitate res judicarentur. Quo factum est ut à multis vexationibus provinciales privatum sublevarentur. Publicè verò multis urbibus atque oppidis immunitates concessit. Vestigalia pleraque nova amovit, leges multas ad reprimendam

Prætorum & Ministrorum avaritiam tulit. Ipse ne victum quidem ab illis exegit; dona omnia respuit præter ea que modica Legatis urbes ingressis à civibus offerri solent; nec in se aut eos qui secum erant fieri sumptus ullos passus est. Ita provincia peragrata Romam reversus, à Nicolao summus Pœnitentiarius factus est. Est autem ea hujus loci dignitas ac potestas ut secundum Pontificem maximæ sit auctoritatis; quam quò faciliùs retineret, id maximè observavit ut ejus ministri non nisi probatæ vitæ essent, sed ii potissimum qui scriptores appellantur. Tantam verò in singulis diligentiam adhibuit ut nihil unquam in eo egerit cujus non probabilem saltem rationem afferre posset.

IX. Sub idem tempus Byzantium, quæ & Constantinopolis, in Turcarum potestatem venerat, tum Græcorum perfidia atque avaritia, tum etiam nostrorum Principum negligentia. Quod cum Nicolaus agrè ferret, & suis temporibus adeo præclaram urbem impiorum viribus accessisse de sua auctoritate judicatum iri crederet, ad eam recuperandam animum adjecit. Sed cum suæ vires magnitudinæ rei non sufficerent, eaque tempestate plurimum mari ac terra Alphonsi Regis Aragonum opes possent, Dominicum ad illum misit, quem arma capere pro tantæ urbis recuperatione hortaretur. Sed cum Reteneri se Italico bello, quod tamen sua & Venetorum ambitione ortum erat, causatus expeditionem differre, nec nisi rebus Italiæ compositis agi quicquam de ea re posse videretur, ad Pontificem rediit.

X. Per id ferme tempus Genuæ per factiones civium novi motus exorti erant. Contendebant Petrus & Ludovicus de Campofregoso, antiquissima familia, & magna apud plebem propterea gratia, & Ioannes Philippus de Flisco, & ipse homo summæ po-

gentiæ & magnæ cognationis, civitatis principes. Dissensionum erat causa quòd Ludovicus, qui imperium populari favore tenuerat, & Petrum affinem suum honore atque auctoritate auxerat, ab eo deinde per fraudem ejectus restitui in antiquum locum gratiæ atque honoris volebat. Iohannes, cum sua potissimum opera Petrus adeptus ducatum Genuæ esset, nulla in re fidem promissam sibi ab illo præstitam magno dolore afficiebatur. Petrus, qui dimisso imperio suam salutem committere potestati eorum qui se læsos arbitrabantur tutum non censeret, omnia prius tendanda existimabat. Quare cum suæ cuique eorum clientelæ, divisa nobilitas, divisus populus esset, magna insuper foris potentia, ad apertum bellum descenderant; eoque irarum jam res processerant ut nisi cum manifesta urbis perniciæ arma deposituri non viderentur. Itaque veritus Pontifex ne ea res majoris tumultus principium foret, satis etiam cognoscens quàm opportuna urbs ad omnes res esset si bellum in Turcos susciperetur, Dominicum ad eorum res componendas misit. In eo itinere persuadet Ludovico itemque Iohanni Philippo ut omissis civilibus dissensionibus pacem, si æquis conditionibus daretur, cuius se interpretem futurum reciperet, amplecterentur. Deinde hortatus ut in ea sententia permanerent, Genuam contendit. Vbi eò venit, nil prius egit quàm peractis de more sacris, implorataque Dei & aliorum numinum ope, supplicia ad omnia templa tota urbe haberentur; è contrà verò ejus ratione habita omnia secunda prosperaque evenire. Intellecta deinceps causa discordiarum civitatis, principes, quos ad extremum ferme discrimen & cum patriæ perniciæ dissidere apparebat, summa diligentia ac prudentia placavit: ereptisque armis ex manibus civium iratorum, civitatem in summo otio & tranquillitate collocavit, maxima omnium gratula-

tione, tantam difficultatem in ea re componenda ex-
 pertus propter mobiles illorum animos & inpostu-
 latis pervicaciam ut aliquando desperatis rebus Do-
 minicus de discessu cogitaverit. Fuit enim reconci-
 liandis amicitiiis aut inimicitiiis componendis promp-
 tissimus, ejusdemque rei studiosissimus; ut etiam
 quos aut ratione aut auctoritate lenire non posset,
 precibus quoque humilibus, ut ad genua sapius pro-
 cumberet supplex, in suam sententiam traduceret.
 Seditionibus civium sedatis, ad componenda sacra
 loca & mores sacerdotum conversus, qui ea licentia
 ac lascivia vivebant ut nil magis contra religionem
 esset, cum vulgò sacræ mulieres sacerdotibus atque
 aliis miscerentur, ædes earum sacræ veluti lupana-
 ria essent, ipsæ urbem noctu interdiumque nulla aut
 sexus aut religionis verecundia cum suis amatoribus
 percurarent, sacerdotes quoque eadem admitterent,
 brevi in antiquos mores ac religionem restituit.
 Quæ quò faciliùs conservarentur, decreto etiam
 sanxit ut vetusto ritu quotannis synodi in Genuen-
 sium diocesibus celebrarentur, utque eæ actæ essent,
 Episcopi quamprimùm ad Pontificem referrent. Mul-
 ta præterea piè prudenterque ab eo viro facta atque
 instituta sunt, quæ à te in iis commentariis quibus
 omnem legationem illam complecteris, copiose &
 eleganter sunt explicata. Illud nequaquam præter-
 eundum videtur, tantam fuisse tum Dominici dili-
 gentiam ut haud contentus res Genuensium compo-
 suisse, maritima quoque auxilia contra Turcum ab
 iis impetraverit. Qua ex re quanta fuerit quondam
 illius urbis magnitudo facilè judicari poterit; quan-
 do magna imperii parte amissa, & intestinis civium
 factionibus penè debilitata, tamen quadraginta cives
 in ea inventi sunt qui singuli singulas armatas trire-
 mes Dominico ad id bellum pollicerentur. Rebus
 Genuensium ita compositis ut non modò suam gle-

riam, sed Pontificis auctoritatem majestatemque auxisset, acceptissimus omnibus Romam revertitur.

XI. Inde cum Pontifex quietis Italiae cupientissimus, tentatis omnium animis, pacis & belli arbitrium esse penes Regem intelligeret, iterum Dominicum ad Alphonsum mittit, persuasus aut de pace omnino desperandum, aut eo interprete cum Rege conventurum. Nec fefellit hominem opinio. Nam brevi Regem & alios ad pacem sua prudentia perduxit; quae quanta in eo fuerit, ex hoc uno facile cognosci potest quia annum & eo amplius Romae, ubi omnium Italiae Principum rerumque publicarum Oratores convenissent, nequicquam tentata est. Agitata est tamen aliquandiu, animo Regis à quietis consiliis abhorrente, qui peteret ut Florentini domum Ludovico Patriarchae Aquileiensi restituerent, quam aliquot ante annis publicè datam, quia is eo proximo bello contra eos pro Rege sensissè diceretur, publico etiam decreto ademissent, tamquam illi crimen falsò objectum esset, ut quae de Gerardo Gambacurta capta, quod & ipse in eadem suspitione fuisset, Florentini redderent, veluti hoc suae fidei maximè interesset, Florentinis verò id se facturos negantibus, & de sua auctoritate agi existimantibus si quae quondam publico consilio egissent retraherent, vicit tamen Dominici constantia, & Regem ad aequas pacis condiciones deduxit. Qua ex re maximum ab omnibus sibi tum amorem, tum gratiam conciliavit; apud Pontificem verò plurimum fidei, plurimum etiam auctoritatis comparavit.

XII. Ea functus legatione, Romae deinceps vixit, tum officio suo ministrando intentus, tum etiam iis quae ad Ecclesiae utilitatem dignitatemque pertinere arbitrabatur. Ingentes enim labores magnasque curas ita pro aliis continuè suscepit, ita sacerdotum

dignitatem & commoda pro viribus & defendit & auxit ut non sua causa sed ad communem omnium utilitatem natum diceret. Nihil verò magis toto eoque tempore egit, cum Nicolao primùm, mox Callisto Pontificibus, quàm instare orareque ut Byzantiorum recuperando incumberent & ad id Christianorum Principes incitarent. Ipse interea quamplurimis Genuensium convocatis, præterea Hungaris ac finitimarum provinciarum Græciæ habitatoribus & Turco, per cunctatus diligentius de locorum omnium ac portuum natura & situ sapissime est; & quæ potissimum bellum inferendum esset, terrestribusne copiis an maritimis pugnare satius foret, & unde facilius quæ exercitui, quæ bello necessaria essent, unde comineatus comportari possent, auxilia suppeditari, quæve hosti plurimum resisti; eaque omnia accuratissimè in parvum volumen redacta ad Pontificem misit. Verùm ubi ea sperni ab illis vidit reliquisque Principibus, expilandis autem undequaque per speciem parandi belli pecuniis enixè impendi operam, à Callisto præsertim, tanta indignatione id tulit ut plerunque lacrymis non abstineret, sapissime verò eorum rapacitatem aperte detestaretur, prædiceretque brevi ea cura neglecta futurum ut Turcus omnino Græcia potiretur, & majores calamitates reipublicæ Christianæ præbiturus foret. Nec sefellit virum ad omnia prudentem divinatio. Mœsiam namque, & Achaiam, Epirum, Macedoniam, Peloponesum ferme omnem ille in suam potestatem redegit, Albanos propriis sedibus expulit, Christianos maximis incommodis affecit; quorum nil eventurum cernebat, in principio, quamvis parvo conatu, obstitissent. In itaque rebus maximè sollicitus animo Dominicus continua cura, ut nulla re magis, angebatur. Nam propriis incommodis nequaquam tristari est solitus, nec propinquorum cognatorum injurias ægrè ferre.

quia oblivisci earum quàm ulcisci maluit, licèt propulsare humaniter illatas tuerique suos illæfos semper voluit. Verùm si quid hujusmodi contra religionis existimationem sive apostolicæ sedis majestatem auctoritatemque fieri vel à Pontifice aut Cardinalibus præter eorum dignitatem videbat, qui avaritia ducti Principum benevolentiam sibi conciliare cupiebant, quàm ægerrimo animo tulit, eorumque conatibus, quoad potuit, semper obstitit. Quare cùm sub Callisto Pontifice Franciscus Episcopus Ferrariensis, vir certè innocentissimus ac doctissimus, à Borasio Marchione Ferrariensi per vim episcopatu ejectus esset, privarique illum à Pontifice peteret, ejusque rei multos fautores ex collegio haberet, & solus Dominicus intellecta causa illi contra multorum potentiam restitit, quamvis Pontifice invito, præstititque sua auctoritate ut Franciscus, quoad ipse vixit, suam dignitatem retineret. Hoc autem officium non solum amicis, sed etiam incognitis sæpius præstitit, ubi opus fuit, inquiring non hominum se quantum justitiæ rationem habere. Omnium verò qui Pontificis ditionis essent, præ ceteris perpetuam propugnationem suscepit, ac pro eorum salute ornamentisque tuendis eam diligentiam adhibuit ut ab omni vi atque injuria eos defenderit. Quibus ex rebus tantam sibi apud omnes gratiam peperit, ea quoque illius viri bonitatis, fidei, integritatis opinio cunctos tenebat, ut non solum Pontificis imperio subjecti, si vi opprimerentur, ad ejus patrocinium confugerent, sed omnes undique omnium gentium ac nationum quibus aliquid Romæ negotii erat.

XIII. Apud Principes verò Christianos summa in opinione fuit sanctitatis. Alphonso autem Regi Neapolitano, Philippo primùm, deinde Francisco Sfortiæ Ducibus Mediolanensium tanta in venera-

tione ut eum semper appellare parentem & interloquendum & in epistolis consueverint, Alphonſus vero etiam ejus auctoritate & oratione ductus, quam in illa sua prima legatione ad eum habuit, auctoritatem beneficiorum sacrorumque omnium facere defierit, ac sacratis Pontificum decretis paruerit. Tantum certe omnes illi detulerunt ut nihil auduum, nihil magnum, sive cum Pontifice, sive cum aliis, eo inconsulto egerint, Oratoribus vero suis ac negotiorum procuratoribus, quos Romae haberent, etiam mandata dederint ut nihil eo inscio aut nolente tentarent. Ceterum cum Nicolaus primo, deinde eo mortuo Callistus à Francisco Sfortia auxilia contra Iacobum Piceninum peteret, quem arma moturum contra Ecclesiam suspicabantur, non prius ad illum misit quam à Dominico id facere esse persuasus. Eugenio post reconciliationem, deinde Nicolao ita carus continuè vixit ut tamquam parenti illi detulerint. Ferunt tamen initio pontificatus Nicolaum alieno ab illo animo fuisse; quia cum suffragiis Cardinalium electus ad pontificatum esset, Dominicus, tamquam ad rem vix credibilem motus, videre diligentius suffragia voluerit. Miraculum enim loco ducebat hominem novum, qui anno & seminis antea privatus sacerdos & egens fuerat, repente Pontificem creatum; Sed haud multo post Nicolaum, cognita hominis virtute, illum sibi convinxisse, nihil deinde egisse quin ejus consilium praepercunctarentur; joco etiam ei dixisse sapius: Tu iterum suffragia videre voluisti. Cardinalibus autem tanta in veneratione fuit ut mortuo Callisto ex collegii sententia Pontifex designaretur.

XIV. Nam praeterquam quod in eo summa rerum agendarum prudentia, constantia; integritas, in rebus omnibus fides erat, fuit etiam adeo emendata vita ut honestate, probitate, exemplo omni-

bus esse posset, & nihil in eo fictum unquam appa-
 ruit, esse quàm videri bonus semper studuit; omni
 vitæ ac supellectilis cultu neglecto, nunquam cul-
 citra ex pluma cubuit, sed straminea; adeoque id se-
 dulò in omni vita observavit ut vix biduo antequam
 decederet à medicis amicisque illi persuaderi po-
 tuerit ut sententiam mutaret. quod ne causa captan-
 dæ popularis auræ facere videretur, ejus rei con-
 scium præter cubicularios neminem habuit. Lectos
 verò instratos, quamvis splendide, modicè tamen
 paratos tenuit. Interiori amiculo laneo à pueritia
 usus est. Quin etiam eo vestitus & calceatus con-
 tinuè dormivit. Camisæ autem, quæ circumdata
 cervicibus apparet, lineam partem adjunxit. Vesti-
 tu alio usus est nitido, & tamen honesto, & qui ab
 omni fastu & pompa alienus esset, quorum erat ini-
 micissimus; dicere frequenter consuetus non in iis
 dignitatis ornamenta esse, sed in religione, fide, ju-
 stitia, ceterisque virtutibus. Solitus est aliquando,
 cum ad eum sacerdotes, nec infimi ordinis veni-
 rent qui vestium limbos ex pretiosioribus pellibus
 haberent, inter loquendum etiam de rebus seriis de-
 pilare, sciscitantibus verò plerisque causam illis res-
 pondere, quid ita ostentatores essent, & cur non po-
 tiùs omnem vestem intrinsecus fulcirent, si id utili-
 tatis causa facerent, quàm oras vestium ambirent.
 Pari modo & sacerdotes purpura usos reprehendit,
 etiam maximo cum stomacho iterum ac tertio, ut
 nemo adire purpuratus coram auderet. Munditia
 tamen fuit magna, sed nequaquam odiosa. Virtus
 ejus talis ut esset opulentia sine reprehensione, par-
 simonia sine sordibus. Cibo duntaxat unico in men-
 sa usus est, sive id assum esset, sive elixum. Elixo ta-
 men frequentius utebatur. Ciborum varietatem as-
 pernatus est, qui præterquàm quòd insalubris sit
 & nimium luxuriosa, fastidium pariat. Hanc autem

frugalitatem & in conviviiis observavit, uno aut summum duobus ferculis convivas excipiens, cum tamen non sine delectu hominum aut ordinum convivaretur. Cibique ipse erat minimi, & ferè vulgaris; famis tamen impatiens, ita ut si quando negotiis longiùs detineretur, etiam coram Pontifice & Cardinalibus comederet. Comedebat verò parum quid zacchari, aut uvas passas, aut aliud quippiam ex zaccharo confectum. Quo cibo unicè delectatus est, ita ut sapius nihil aliud cum modico pane cœnavit, idque ferre secum impransus ad Pontificem iturus semper consuevit. Vini quoque fuit parcissimus. Vas vitreis aut fictilibus plerunque in mensa usus est, præcipuè solus, aut inter amicos. Vasorum verò argenti tantum habuit quantum fieri neglecto omni luxu poterat. Semper, cum cœnavit aut pransus est, lectorem adhibuit, maximè sacrorum operum, quo ventrem simul atque animum pasceret. Ipse ea attentione audivit ut corrigere lectorem, si quid errasset, soleret. Interdum & cœnavit & pransus est inter domesticos eodem in cœnaculo, ut non nimio sumptu, ita nec lautiori ab universa familia cibo. Sed patronus ac dominus idem quoque severus fuit. Domesticum, quòd is contra suam voluntatem extra domum dormisset, domo exclusit, nec adduci unquam potuit ut eum reciperet. Alium, qui consecrum verberaverat, similiter domo ejecit.

XV. Vivendi usum ita instituit. Se semper duas aut tres horas ante lucem surrexit, nisi cum casus aliquis tenuisset. Nam somni ita parci fuit ut ad summum quatuor horis dormire sit solitus; ac statim horis, prout sacerdotum moris est, dicendis operam dabat. Deinde aut sacra ipse celebrabat, quod faciebat quàm frequentissimè; aut si quo casu prætermitteret, iis intererat. Peractis sacris, legere consuevit, donec tempus esset venientes audire.

quod deinceps ad horam prandii prorogabat. Vbi pransus erat, doctos viros, quos domi semper habuit, ad se convenire volebat, & propositis quaestionibus, de philosophia & theologia maximè disputantes audivit. Ipse sapiens aliquid in medium afferens, eos ad dicendum alliciebat, differebatque, a quo etiam animo de sententia ejici passus. Vbi factis sermonis habitum erat, se in cubiculum cum suis recipiens, domestica primùm negotia ab iis audiebat, tum aliorum, si qui forent qui aut sua gratia aut opera indigerent; & illorum curam aut Secretariis aut auditoribus aut dispensatori, prout cuiusque negotia essent, demandabat. Quæ verò suam diligentiam suamque auctoritatem apud Pontificem requirerent, in breve conjiciebat, quò Pontificis voluntatem de singulis perscrutaretur. Conferebat autem se ad eum sapissime ob negotiorum multitudinem, quæ ad eum undique confluebant. Id verò continuè observavit, ut priusquam mane cubiculum egrederetur, breve rerum omnium conscriberet quas ea die factururus esset, eoque deinde ordine cuncta, ut erant notata, tractaret, deinde noctu, prius quam cubaret, ea quæ novissimè supervenissent, pari diligentia notaret, & notata quæque relegeret, si quid autem esset aut temporis culpa aliave causa prætermissum, in posterum diem rejiceret, absolveret. Inde legit aliquid, aut scripsit.

XVI. Post meridianas horas progrediens, qui ad eum conveniebant, sive salutandi sive negotii gratia, sedens plerunque audiebat omnes. Audiebat persæpe stans, aut inambulans; idque exercitii causa. Vbi publica expedisset, in cubiculum se recipiens, subscriptioni supplicationum officii primò dabat operam; deinde breve mane à se conscriptum, deinceps epistolas tum amicorum, tum aliorum qui ad eum scriberent, perlegebat. Post hæc

legebat aliquid. Legit verò præ ceteris Augustinum de civitate Dei, Hieronymi omnia, & Cassiani opera, ex aliis Senecam, quem familiarissimum habuit. Fuit ingenio summo, ac memoria, maxima autem rerum. Nam neque audierat quicquam unquam, neque viderat, aut etiam legerat, quin eorum recordaretur. Verborum verò ferme nullam habuit. Credo quòd rebus contentus, verba posse ipse frugere non dubitaverit.

XVII. Nihil cuiquam denegavit unquam quod ipse præstare posset, aut gratia sua quempiam fraudavit. Nihil autem se facturum recepit quod non effecerit. Qua in re tantam diligentiam adhibuit ut per se stare crederet quò minùs qui peterent absolverentur. Quos verò opibus aut potentia per vim opprimi vidit, iis maximè nullo aut benevolentia aut amicitia habito respectu auxilio fuit, nihil omnino prætermittens quod ad illius salutem & suam fidem spectare arbitraretur, ita ut nec potentum inimicitias extimesceret. Quare multis saluti fuit, gloriari sæpe solitus neminem frustra patrociniū suum implorasse, avertisse etiam à cervicibus multorum maximas calamitates. Beneficium verò nec vendidit unquam, nec vendi passus est. Ideo, ne in suspicionem aliquam incideret, nunquam à privato, etiam amico, munus accepit quin par aut majus redderet. Aliquando anulum digito extractum dono mittenti quippiam dedit. A civitatibus & provinciis non nisi edulia accepit. In omni autem vita constantia & gravitate fuit quæ non solum gratia resisteret, verum etiam suspitioni. Feminam nullam domum suam ingredi est passus, sive eæ alienæ sive conjunctæ aliqua cognatione essent. Quòd si fortè aliquam sua opera indigere aut conjunctarum ullam ad se venire contigisset, in vestibulum domus descendens aut propinquam ædem, illam audiebat, dimitte-

dimittebatque. Præterea adeo continentis vitæ fuisse constat ut postquam sacris initiatus sit, castissimam vitam duxerit, honestate etiam tanta ut ne à cubiculariis quidem unquam visus sit nudus.

XVIII. In cetera verò vita adeo integer vixit ut nec multis annis valetudine adversa laboraverit, nec vita ab invidis malevolisque ulla in re unquam culpári potuerit. Quòd si integritas in omnibus laudanda est, in iis tamen qui in imperio aut potestate sunt admiratione digna videri bebet. Nam multi, quos etiam vidimus, licet in parva fortuna contentes, integri, casti, liberales fuerint, tamen postquam ad potestatem rerum pervenere, intolerabiles, avari, luxuriosi, superbi, maxima licentia facti sunt, ignari tales solere esse dignitates quales sint qui illis præsumunt, arbitrari præterea omnes sanæ mentis illas non semper virtutum præmia esse, sed fortunæ beneficia; cùm extolli in dies videamus nulla doctrina, nulla virtute homines insulsos, stupidos, nunquam sobrios, quos nisi cum summo fastidio videre tamquam personatos nequeamus. Hic tamen in tanta rerum licentia, quam omnium rerum impunitas sequatur, unde etiam homines solent plerunque fieri deteriores, talem se ubique semper præbuit ut non minùs dignitatem illam Dominico egere quam Dominicum illa honestatum appareret, documentoque fuerit suos cuique mores fortunam fingere. Mendacium nec joco quidem unquam dixit, nec pati potuit, dicens nil magis alienum ab homine esse debere. In loquendo verò liber adeo ut nec Pontifici parceret. Eo dicente aliquando publice, *De fratrum nostrorum consilio & voluntate fecimus*, surrexit Dominicus; detectoque capite, se nihil unquam de ea re audivisse affirmavit. Nicolaus cellam, quam sumptuosissimam in pontificia, quæ est in Vaticano, Deo immortalì erexerat, cùm

multis cantoribus repleffet, & aliquando Dominicum percunctaretur post Missam, tamquam de re honorificentissima facturus foret, quid ei de illo canentium choro videretur, respondit sacculum sibi porcellis plenum videri, audiri namque clamantium strepitum, sed nihil ex eo percipi. Cuidam stipem petenti, quòd manus Catalanorum elapsus esset, quasi ob eam rem mendicare cogeret, & alii ad misericordiam commoverentur, ad adstantes conversus, Quid ergo, inquit, debetur nobis qui in eorum manibus sumus? de Callisto locutus.

XIX. In creatione Pontificis quidam ex collegis ad eum accedens petiit; qui etsi sciret pontificatum ad se perventurum, cupere tamen & orare illum ut sibi suum suffragium daret; quò talis viri testimonio probari videretur. Respondit id se non facturum, nec commissurum ut illius facti conscientia aliquando urgeretur. Erat enim ille vir tardo admodum ingenio, & vita non multum probata. Idem ad iustas quoque preces fuit inexorabilis, ita ut nec minis nec precibus de sententia dejiceretur, ulliusve gratia flecteretur. Callisto ad pontificatum assumpto, volentique Borgiam ex sorore genitum Ducatus Spoletani pro Ecclesia Vicarium facere, & Cardinales partim timore, partim Pontifici gratificantes, illi assentiri viderentur, solus aperte restitit, & id fieri prohibuit. Quare offensus Callistus, per speciem legationis in Angliam Dominicum mittere, qui eorum Regem capere arma contra Turcum hortaretur, & urbe ablegare constituit, veluti rebus suis adversantem. Id quoque cum parum succederet, agitasse deinde Pontifex dicitur de eo capiendò, sed aut deterritum viri auctoritate, aut morte præventum abstinuisse incepto.

XX. Ambitiosos homines maximè irrisit. Se adeuntes ex his qui tota urbe cursitant, limina po-

tentim terentes, cum numquidnam à se vellent
 Dominicus percunctaretur, iisque se visitatum illum
 venire dicerent, porrecto brachio sæpius rogavit ut
 vena tentata viderent an feбри aliove morbo labora-
 ret, (Est enim id verbum quo medici utuntur) dein-
 de increpitos admoneret ut potiùs domi secundùm
 eorum ordines aliquid agentes quietè viverent &
 virtuti operam darent quam tota urbe vagarentur,
 Futurum enim necessariò quandoque (ut boni docti-
 que in pretio habeantur, & quamvis inviti ad mu-
 nia Ecclesiæ vocentur) se verò nequaquam adirent,
 nisi ubi sua opera indigerent. In promiscuis autem
 auditionibus quadam etiam severitate se adeuntes
 excepit, ita ut nec infimi ordinis homines, qui fortè
 composita aut longiùs reperita oratione aut blandi-
 tia verborum gestive corporis humiliori & abje-
 ctiori loquerentur interpellaverit asperius, ut hu-
 jusmodi inepta loquacitate omiſſa rem breviter ex-
 plicarent. Qua re fiebat ut in magna adstantium co-
 rona plerisque attonitos lingua atque animus defi-
 cerent. Quibus verò vel opera sua vel gratia usui
 esse non potuerat, instarent nihilominus importu-
 niùs, multos malè mulctatos verbis à se amovit.
 Adulatorum genus abhorruit quasi perniciosissimam
 pestem, quos etiam amovere à se, publicè quoque
 acerbius redarguere & increpare summo cum sto-
 macho sit solitus. Igitur iis moribus affecutus est
 ut durus difficilisque nonnullis videretur, & ad vitæ
 institutionem rudis, cum tamen in ceteros esset hu-
 manissimus. Audiebat omnes, quibus poterat open-
 ferebat, nulli consilio deerat.

XXI. Accedebat ad hæc formæ qualitas. Nam
 aspectu erat aspero & vultu qui severitatem quandam
 præ se ferret. Statura fuit etiam mediocri, dextero
 pede admodum claudus natura, sed ut non multum
 dehoneſtaretur. Id verò vitium quò faciliùs occule-

ret, crepidis continuè usus est. Erat præterea incorruptus, alieni verò & omnium rerum abstinentissimus, & (ut de Catone scribitur) cum virtutis omnem speciem amplecteretur, honestatem cum severitate adamavit. Moderationis humanitatisque tantæ fuit ut quid quisquam de se sentiret, ab amicis liberè dici sibi optaverit, & audiverit attentius; ita si quid minùs bene fecisse redargueretur, libenter emendaret, idque sedulò ut facerent, humanissimè hortaretur, quædam ipse convinceret, & errare illos ostenderet. Sed nihil omnino ægrius tulit quam detractorum voces & absentes carpentium, humanum esse dictitans aut alterius peccatum occulte aut errantem clam amicèque redarguere. Ipse ubi aliquid amicis vitio dari audivit, sive verò seu falso, quanvis non primi aut secundi loci amici essent, iis ad se vocatis benignè ostendit quæ illis vitio darentur; simul admonuit ut vitam ab infamia illæ fam servarent; si verò falsa essent quæ ferrentur, rogare ut & suspicione abesse curarent. Qua re fiebat ut & qui deliquissent, vitam emendarent, & ceteri suspicionem evitare conarentur, omnes verò cognita hominis caritate plurimùm se illi debere fatebantur. Amicis, quorum consuetudo plerunque malorum causa esse solet, nonnisi continentissimis optimisque viris usus est; quos & consiliis suis continenter adhibuit. Nam nec ad amicitiam quemquam facile admisit; & quos admisit, constanter retinuit, eisque etiam plurimùm detulit, quibus autem potuit magno semper honori & dignitati fuit. Pro cuiusque etiam meritis ita eorum opes auxit ut miseras paupertatis effugerent. In eorum quoque necessitatibus non secus absentes ac præsentibus illi curæ esse cognitum semper est, id amici officium existimans, si cum posset ultrò beneficium præstaret. Vnde sapius factum est ut multi priùs aliquod beneficium in se

collatum cognoscerent quàm id futurum cogitaverint. Quæ verò fecisset, occulta esse cupiebat, nec ab eo quidem qui accepisset sibi commemorari æquo animo passus, satis amplam gratiam habitam & relatam arbitratus si amico non defuisset. Creato Callisto, memor amicitiaë quæ illi cum parente meo erat, à Pontifice refici secretarium & litteras apostolicas, ut moris est, impetravit, curavitque mittendas Florentiam. Fortè accidit ut eæ interea ad sacrum ærarium delatæ in manus Patriarchæ pervenirent, qui pariter eundem benevolentia completi videbatur. Hic igitur alieni officii fructum capiens, suo nomine eas Poggio transmisit, significans præterea ob antiquam necessitudinem se in eo negotio meritam diligentiam præstitisse. Quæ postea Dominico relata nihil illum offenderunt. Quin bene habet, inquit, si Poggio satisfactum est. Nec de ea re ad illum quicquam scripsit.

XXII. Ipse immortalis memoria beneficia retinuit. Martini Pontificis propinquos omnes summa benevolentia, quoad vixit, est prosecutus. Prosperum verò ejus nepotem Cardinalem, licèt admodùm juvenem, in omni vita caritate magna coluit, & cum omni Columnensium familia ab omni vi atque injuria non sine suo periculo defendit. Amicos præterea eorum ac clientes, & qui ejus partis erant, continuo tanta cura ac studio prosecutus est ut proniuscujusque commodis ac dignitate perpetua propugnatione suscepta nihil unquam prætermiserit quod aut saluti aut honori aut utilitati eorum conducere existimaret vel ad augendam Columnensium gratiam, auctoritatem, amplitudinem spectaret, quos omnes per se posse esse ampliores volebat. Fuere tamen eo tempore qui ab illo hæc agi quòd factionibus esset deditus iniquè interpretarentur, quandoquidem si ea non fecisset, haud quaquam ingrati

notam vitare potuisset, & ii non minùs quàm Martinum fecissent, tamquam superiorem colerent. Ipse inimicitias nullas gessit, neminem unquam læsit, nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. Verùm illud in eo homine prædicatione dignum fuit & optimi viri indicium, quò multitudinè honestorum hominum, quos premi inopia scivit, pro facultatibus subvenit, quamvis eà illi essent pertenues. Percunctabatur amicos diversorum ordinum, qui domum suam frequentarent, de urbis ac civium conditione; deinde singulorum necessitate perspecta, aut iis salaria ad vitæ sustentationem suppeditavit, aut alia ope juvit. Multis victum ac vestitum præbuit, quamplurimorum etiam filias sua pecunia collocavit, & quàm frequentius, nil æquè piùm sibi videri inquam quàm injuriæ & turpitudini expositas propter inopiam & naturæ imbecillitatem ad honestam vitam traducere, quod etiam in adolescentibus observavit in quibus aut ingenii aut virtutis indoles appareret, ne res eorum angustæ officerent quò minùs bona sibi à natura data exercere possent. Sed id aut ipse per se fecit, aut quàm occultissimè curari per suos voluit, quos fidos sibi delegerat, ne captandæ popularis auræ causa facere judicaretur. Nemo autem unquam ab eo frustra quicquam petiit. Quare aliquando sibi calceos detrahit ut cuiquam largiretur. Quandoque etiam cum offensum fortuna quemquam vidit minùs bene vestitum, suum anniculum dedit. Et cum pecunia ad erogandum non sufficeret, sapius vasa argentea quæ habebat conflare & petentibus distribui jussit. Cumque ob eam rem ab amicis argueretur, respondere consuevit hominis proprium sibi videri quamplurimis benefacere, quod adeo in omni vita fecit ut plerunque necessariis ad victum deficientibus, pecuniam sumere mutuò ab amicis cogeretur.

XXIII. Cardinalatus dignitatem ad summam civilitatem reduxit. Nam præterquam quòd modicis proventibus contentus fuit, quippe qui non plus tribus millibus aureis annuatim ex suis facultatibus reciperet, omnium se adeuntium adulationes & in salutationibus allocutionibusque prostrationem corporum humi & ad omnem quoque nutum sonantia & ampullosa verba respuit, multaque indignatione audivit. Sacerdotum dignitati plurimum detulit, Episcopos ceterosque qui aliquo honore aliis antecellerent, non nisi aut sedentes, aut operto capite audivit. Viros bonos ac doctos evexit, quoad potuit, summaque benevolentia ac liberalitate excepit. Aditus ad eum ferme nimius etiam humillimo cuique de plebe homini patuit. Aderat ipse horis statutis, loco publico domus, aperto ostio, ut omnibus illum adeundi libera facultas esset; quos ita audiebat ut gravitatem cum dignitate retineret. Veritatis amator, & bonorum magis quàm hominum doctorum, doctorum tamen amantissimus. Non superbus, non ambitiosus, non fictus, non contumeliosus, non rapax, non avarus, non circumventor, quibus etiam vitiis domesticos carere voluit. Itaque nullus fumi venditor, nemo arrogans, nemo simulator, aut dissimulator in ejus domo erat. Omnes integri, casti, continentes. Quae in re plurimum diligentiae adhibuit, præcipuè vero ut incorruptos servaret. Nullum ex domesticis purpura uti passus est aut veste quæ non genu tenus protenderetur. Eos autem in quibus aliquod integritatis aut virtutis simulacrum inesse cognosceret, quoad potuit, ad honores extulit, inquiens Christianam religionem meliùs se habituram fuisse si virtutum amatores ad ejus administrationem eligerentur.

XXIV. Ex ejus ergo domo, quæ & castitatis sanctitatisque exemplum fuit, plures clarissimi viri tamquam ex seminario aliquo prodierunt & omni

virtutum genere ornatissimi; in quibus *Æneas* Senensis primus floruit, qui & eo vivo ad eandem dignitatem electus est, & *Callisto* in pontificatu succedens, *Pius* secundus est cognominatus, vir profecto eloquentissimus eruditissimusque. Et tu, Reverendissime Pater, qui à *Pio* propter doctrinam ac probatissimos mores in familiam suam *Picolomineam* adoptatus primò, deinde *Papiensis* Præsul factus, Cardinalis tandem creatus es, *Amicus Aquilanus* integritate vitæ & pontificii juris doctrina insignis, & tempore sedente *Paulo* secundo eandem dignitatem adeptus, *Franciscus Archidiaconus Toleranus*, vir tum bonitate, tum scientia sacrarum litterarum, omnium nostræ ætatis facilè princeps, *Antonius Latiosus Forliviensis*, vir castissimus, *Leonardus Perusinus Theologus clarissimus*, *Blondus Forliviensis* vir literatissimus, & alii permulti tam doctrina quàm moribus venerabiles. Quos autem domi viros claros retinere non potuit, summa benevolentia est persecutus. Dilexit verò præ cæteris *Antonium Archiepiscopum Florentinum*, *Ægidium Episcopum Ariminensem*, homines optimos atque eruditissimos. Maxima autem affectione complexus est parentem meum, eumque in omni vita coluit. Multos præterea (quos enumerare longum est) plurimùm dilexit. Nam nemo vir probus, nemo doctus ea tempestate fuit quin illi esset carissimus. Fuit præterea ejus viri sanctitas ut qui sibi amicitia conjuncti fuerunt, aut in ejus domo vixerint diutiùs, (quod nulli nostrorum temporum contingit) assecutos sciamus ut viri integri & prudentes communi omnium judicio habiti plurimas dignitates, eo etiam defuncto, sint adepti. Tanta fuit apud omnes virtutum illius opinio ut verissimè appareat nullum magis boni malive Principis testimonium esse quàm amicos, cùm ii semper tales sint

quales fuerint qui eos in suam amicitiam admittunt.

XXV. Studia in maximis occupationibus nunquam omisit. Operam multam, etiam provectoris ætatis, theologiæ & philosophiæ, ei quam moralem dicunt, impartitus est, præceptoribus usus Francisco Tolerano & Leonardo Perusino, quos continuo apud se habuit; tantumque in iis profecit ut inter doctissimos haberetur. Nullum verò unquam diem prætermisit quin aliquid aut scriberet aut legeret. Legit autem tanta ut semper cura & negotio vacasse facile videri possit. Cujus rei hoc unum est argumentum, quòd cum plus mille & quingenta librorum volumina habuerit ad jus tum pontificum tum civile spectantia, nihil in iis fuerit quod ipse non viderit diligentissimè. Idque in omnibus Augustini & Hieronymi libris fecit. Historias tantas novit quantas nemo alter. Poetas vidit omnes. Oratores ac philosophos habuit familiarissimos. Scripsit ille nonnulla eruditè magis quam eleganter, quæ in vulgus emanarunt, ad religionem nostram spectantia. Plurima etiam partim ædificavit, partim restituit. Ædificavit sibi domum in regione Columnæ à fundamentis pro dignitate sua commodam satis ac magnificam, ita tamen ut superfluos in ea sumptus atque ornamenta vitaverit: quam deinde moriens ex testamento gymnasium esse voluit, ad quod plurimi adolescentes addiscendi studio diverterent; & iis necessaria ad victum constituit, magna pecuniarum summa in eum usum erogata. Decevit in ea & bibliothecam ad communem doctorum hominum utilitatem, congestis ibidem libris, quos magna impensa in omni doctrinarum genere ad duo millia voluminum coegerat tum optimos, tum pulcherrimos, & ut qui domum eam incolerent, quique studiosi forent, pro arbitrio illis uti possent. Hanc tamen domum Angelus ejus frater à Pio Pontifice ad eandem dignitatem vocatus, illi haud dissimi-

lis, & qui vitæ integritate & morum sanctitate nulli
ejus ordinis cedat, suo usui reservatam inhabitat. Et
ne laudabilis voluntas fratris irrita esset, contiguum
illi gymnasium sumptuosius, magnificentius con-
struxit. Edificavit & Dominicus reparavitque non-
nulla in Hetruria, in Piceno. In Soractis monte, ubi
quondam latuisset, beato Sylvestro ædem à funda-
mentis extruxit.

XXVI. Hoc verò præcipua laude dignum in eo
fuit, quòd cum redditus habuerit & pro dignitate
tenuis, & aliorum qui pari potestate respectu pen-
nullos, iisque contentus vixerit, nullam tamen Ec-
clesiam tenuit quin aut eam aliqua ex parte instaura-
verit, vel illius fructus sua impensa auxerit. Quod
utinam ceteri quoque fecissent. Non enim regias opes
quemque possidere, non omnia concupiscere impo-
tenti avaritia, & minima quæque sectari cernere-
mus, non illorum curæ commissas Ecclesias ruere,
non bonis doctisque viris neglectis rejectisque alle-
clas quosdam ac ministros omnia adipisci, omnia
possidere videremus; aut eos qui emere, tamquam
hasta posita, quod concupiscant possint.

XXVII. Optimo igitur vitæ instituto cum Do-
minicus viveret non minori apud omnes gratia quam
aut fortuna aut dignitate, in morbum incidit, ab ini-
tio quidem haud periculosum, attamen molestum.
Profluvio namque ventris laborare & se domi conti-
nere cœpit, verùm ita ut negotiis ex consuetudine
fungeretur, nec solito magis accumberet. Post vige-
simum diem, cum Callistus vita functus esset, &
creandi Pontificis necessitas instaret, ideoque Cardi-
nales conventuri essent, ne dissimilis sui videretur,
utque quod in omni vitæ institutione fecisset, repu-
blicæ Christianæ proficeret, adesse huic rei voluit.
Quare fretus consilio medicorum, alvum pharmaco
ad eam rem parato sistit. Ex qua re in febrem inci-

dit, & quidem vehementem. Cùmque ea continuo augeretur, omnia Ecclesiæ sacramenta, ut ad eam diem sanctissima ejus acta vita exigebat, summa religione primùm suscepit. Deinde ingravescente morbo, ubi adesse vitæ finem sensit, amicis ad se vocatis, magnificè ad eos de contemnenda morte locutus est. Ad quæ verba cùm amici ingemerent, rogavit ne suam mortem lacrymis prosequerentur. Se enim, inquit, vixisse ad eam ætatem ad quam pauci ex multis perveniant, omnes ferme desiderant. Iuvenem præterea se adeptum quæ mortales summa putent, instituisse quoque ad eam diem ita vitam suam ut sperandum ab eis sit se misericordia & clementia Dei optimi maximi adjuvantibus eò ubi vera felicitas ex hoc veluti carcere migraturum. Quare orare illos ut lamentis parcerent, ne non dolere ejus discessum sed invidere huic suo summo bono viderentur. Persuadere se illis ut hanc potiùs suam diversionem lætitia prosequantur, cujus ipse vel maximum hoc gaudium caperet quòd in eorum conspectu vitam finiret. Dolere enim homines eorum mortes debere qui in Dei veri cœlestisque beatitudinis ignoratione occidunt, vel qui ita vixerint ut posthabita virtutum atque animæ cura, soli corpori inservientes, tunc demum cogitare de morte incipiant cùm calamitosæ miseræque vitæ curriculo exacto se victuros desperarint, quique in summa dignitate constituti, solum quod præsens in oculis fuerit respiciant, nec ultorem scelerum Deum expaveant, aut bonorum remuneratorem credant. Valerent quidem, & posteaquam abiisset, Deo pro animæ suæ salute supplicarent, & ad eum preces tum pias tum frequentes effunderent. His dictis, omnium apprehensa dextra, amplexuque, lacrymantes omnes dimisit. Nec multò post excessit è vita quinto die postquam febris eum tenuisset, XIX. Kal. Septembris, anno salutis nostræ supra

millesimum quadringentesimo quinquagesimo octavo, ætatis verò octavo & quinquagesimo, vir certe sanctissimus, & qui meritò dignus crederetur ea dignitate quam tanto labore defensam annos ferme triginta summa cum laude tenuit. Elatus est maxime omnis generis hominum frequentia, comitante omni civitate, laudatusque publicè summa cum adstantium attentione. Funus insuper celebratum summa omnium mœstitia, & in ejus sumptum pecunia ab amicis collata, illatusque sepulcro quod ipse sibi in templo Minervæ vivens fecerat.

HVIC DOMINICI CAPRANICÆ

Cardinalis vitæ lubet subjungere narrationem sancti Antonini Archiepiscopi Florentini de morte ejus, tum quia locus est valde insignis, tum ob sanctissimorum hominum inter se amicitiam, quam & Baptista Poggia & Franciscus Castelionensis in vita Antonini, quæ extat apud Leandrum Albertum, testantur magnam fuisse. Hæc sunt igitur verba sancti Antonini parte III. tit. XXII. cap. XVI.

Accidit in diebus illis & aliud lugubre quod urbs tota deflevit. Nam reverendissimus Cardinalis Firmanus Dominus Dominicus de Capranica ejusdem mensis (Augusti) xiv. die ex infirmitate fluxus appositus est ad patres suos, cum multa devotione ex hoc mundo transitum faciens, in aspero repertus cilicio quod ad carnem ferebat assidue. Multum tristitiæ & doloris mors ejus intulit cunctis qui noverant eum, propter eminentes virtutes ejus. Verè hic homo justus erat, propter rectitudinem ejus

à cunctis dilectus, prudentia & consilio magnus, in jure peritus, & religiosorum pater & refugium. Manus copiosè extendebat ad pauperes, sobrietate & sanctimonia præclarus, ex devotione non modica frequenter celebrans, studiosus, à lectione non cessans, in diversis partibus legationem eleganter exercens. Honorificè vita functus traditus est sepulturæ in conventu sanctæ Mariæ supra Minervam ordinis Prædicatorum.

Addere etiam placet veterem narrationem de morte Iuliani Casarini Cardinalis, cujus auditor olim fuerat Capranica, à me descriptam ex autographo Agidij Carlerii Decani Cameracensis, quod extat in bibliotheca collegii Navarrici Parisiensis.

Hic reverendissimus Dominus Cardinalis vocabatur Dominus Iulianus de Casarinis, qui tempore primi adventus Boemorum erat Cardinalis sancti Angeli, postmodum verò assumptus fuit ad titulum sanctæ Sabinæ. De hoc reverendissimo patre retulit mihi Agidio Carlerii Decano Ecclesiæ Cameracensis mense Februarii anno Domini 1447. more Gallicano unus ex familiaribus suis gloriosissimi sui martyrii triumphum. Cùm enim peccatis nostris exigentibus Teucris de Christianis reportassent victoriam, multis fidelibus interemptis, aliis terga vertentibus, hic reverendissimus pater capitur, coram Teucrorum seu Turcorum Imperatore sistitur. Adducuntur doctores suæ execrabilis legis, qui cum illo de fide certant, nitentes eum subvertere & ad impiam eorum sectam pertrahere. Quòd cùm nulla ratione hoc facere possent, nunc promissionibus, nunc comminatis suppliciis mentem sanctam satagunt à bono proposito revocare. Nam tyrannus, si ei consentiat, spondet eum facere summum suæ legis sacerdotem;

sin autem, diversa experiri tormenta. Cùm verò hic
 reverendissimus pater nullatenus acquiesceret, sed
 Dominum Iesum Christum & fidem eius constanter
 profiteretur, assunt tortores & medici. In media pla-
 tea urbis, præsentem tyranno, astantibus quodam ve-
 nerabili Episcopo & multis Christianis captivis, su-
 per scalam ponitur, à tortoribus excoriatur per cor-
 rigias aliquas pelle à carne separata, inter quas lan-
 ceantur quædam subulæ ferreæ. Cùmque isto marty-
 rio esset fatigatus, iterum rogatur ut ad suam sectam
 dimissa lege Christianorum, redeat. Quod si facere
 vult, promittunt medici præsentem curam vulneri-
 bus exhibere. Sed nec honorum suorum ambitio nec
 sanitatis beneficium propositum sanctum potuit vio-
 lare; sed in Christi fide perseverans, rursus torquetur
 ut priùs; & ad exitum properans, ad Episcopum præ-
 sentem conversus ait: En vides, pater venerabilis,
 ego ad Christum venio; tibi commendo hunc gre-
 gem meum, hunc scilicet populum Christianum,
 Fortis esto athleta Christi, & ipsum in fide confir-
 ma. Et sic triumphator migrat ad Dominum, cui &
 laus & gloria per immortalia secula. Hæc mihi re-
 tulit in Cameraco ille familiaris suus supra memo-
 ratus; qui, ut inquit, præsens tunc erat, & vidit
 eum vivum & mortuum. Subjunxit quòd corpus ty-
 rannus iussit comburi & cineres in capsâ argentea
 vel aurea in signum victoriæ quam de Christianis
 optinuerat reponi. Si hæc vera sunt, annon, nescio.



TRACTATUS IORDANI
Bricii I. C. pro Eugenio IV. adversus Cardi-
nalem de Capranica, scriptus jussu Petri Car-
dinalis Fuxensis anno MCCCCXXXIII.

Felicis recordationis Dominus Martinus divi-
na providentia Papa quintus die Veneris IX.
Kal. Junii Romæ in palatio sancti Petri condidit
unum statutum seu decretum in consistorio secre-
to, præsentibus Dominis Cardinalibus qui erant in
curia; cujus tenor ad litteram sequitur & est talis.

Anno Domini millesimo quadringentesimo vicesi-
mo sexto, die Veneris IX. Kal. Junii, Roma
in palatio sancti Petri, præsentibus omnibus Cardina-
libus qui erant in curia, excepto Cardinali Aquilegen-
si, qui tunc infirmabatur, ad quem fuerunt missi duo Car-
dinales, videlicet Placentinus & de Comite, pro ejus
voto sciendo, & ipsis consistorialiter congregatis in for-
ma consueta, scrutinio præcedenti secreto publicè crea-
vimus, assumpsimus, & pronuntiavimus ultra Car-
dinales eadem die assumptos & publicatos, Domini-
cum Episcopum Ilerdensem in Presbyterum, Prosperum
de Columna, Dominicum de Capranica electum Fir-
manum, Iulianum de Cesarinis Auditorem camera
in Diaconos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; qui
Ilerdensis & Firmanus aliàs juxta morem consuetum
creati fuerunt, sed ex bonis causis tunc & nunc unà
cum aliis duobus nolimus, publicari, sed dicto Ilerdensi
reservavimus locum suum, licet publicatus non sit.

Item volumus, statuimus, & ordinamus quod si con-
tingat nos mori ante publicationem dictorum quatuor,
habeantur statim pro publicatis solemniter etiam quo ad

Haberur to.
XII. Conci-
lior. pag. 694

electionem Romani Pontificis & ad omnia alia, etiam si tituli ipsis quatuor assignati non essent.

Item volumus, statuimus, & de apostolica potestate plenitudine decernimus & mandamus omnibus & singulis Cardinalibus sub pœnis excommunicationis & facto & inhabilitationis omnia activa scilicet & passiva quoad electionem Romani Pontificis, quod eo casu, scilicet mortis nostre ante publicationem dictorum quatuor Cardinalium, quod ipsi alii Cardinales tententur & debeant immediate, scilicet infra diem naturalem, habita notitia mortis publicare prædicta, dictosque quatuor Cardinales recipiant pariter & admittant in omnibus ac si publicati & admissi fuissent, sicut superius est expressum.

Ita fuit. A. Cardinalis propria manu Episcopus Penestrinus Laudensis.

Ita fuit A. Cardinalis Bononiensis propria manu.

Ita fuit F. Episcopus Sabinensis Cardinalis Ventrianum propria manu.

Ita fuit. A. Cardinalis Aquilegensis manu propria.

Ita fuit. G. Cardinalis Senensis manu propria.

Ita fuit. T. Cardinalis Tricaricen. manu propria.

Ita fuit. B. Cardinalis Placentinus manu propria.

Ita fuit. G. Cardinalis sancti Marci.

Ita fuit. R. Cardinalis de Brancatiis.

Ita fuit. A. Cardinalis sancti Eustachii manu propria.

Ita fuit. L. Cardinalis de Comite.

Cujus decreti occasione Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus Petrus Dei providentia Albanensis Episcopus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ de Fluxo Cardinalis nuncupatus dubium sequens ad consulendum & allegandum tradidit ut sequitur.

Vtrum vigore dicti decreti de plenitudine papalis potestatis editi in eventum quo appareat Dominos Cardinales in cedula subscriptos post mortem dicti

dicti Domini nostri Martini quondam non recepisse dictum Dominicum electum Firmanum ut Cardinalem, nec ad electionem summi Pontificis Domini Eugenii quarti admisisse, ex hoc ipsi suscripti debeant inhabiles ad papatum vel ad electionem summi Pontificis activè & passivè fore & fuisse reputati. Et cum dictus Dominus Eugenius quattus à duabus partibus Cardinalium electus in Papam fuerit, an ejus electio propter contemptum & inhabilitatem prætenfos veniat per generale Concilium infirmanda seu cassanda.

Quis, ut ait Hieronymus, unusquisque offert tabernaculo Dei quod habet, & illa paupercula mulier evangelica duo tantum æra in gazophylacio pro maximo opere obtulit: quod quamvis modicum, ei tamen ad magnum meritum reputatum extitit. *Lucæ 21.*

Quæ considerans ego, licet modicus, in tanto & mihi grandi & gravi opere aliqua pauca subiciam, ante omnia tamen protestationes de quibus in cap. *Dannamus. De summa Trinitate* præmittens, protestans etiam quod per aliqua quæ dicam infra alicui personæ injuriam inferre non intendo, sed solum de eis honestè quantum potero loqui, juxta tamen casus exigentiam, & non aliàs, & etiam cum omni honore & reverentiâ cujuscunque loqui & scribere intendo. Quæ omnia in singulis hujus opusculi partibus, ubi utile & expediens erit, haberi volo pro repetitis.

Viso igitur decreto Domini Martini Papæ quinti & Dominorum Cardinalium subscriptione & themate præscripto, quamvis ex themate ipso non appareat claritas eorum quæ postea in facto secuta sunt in electione sanctissimi Domini nostri Papæ Eugenii quarti vel non admissione Domini Domini de Craponica ad ipsius electionem, nisi quan-

tum ex allegationibus similibus Domini præscribentis colligere potui, alium tamen ordinem tenebo in dubiis removendis quàm ipse fecerit; & ideo aliam dicam, pauca de suis tangendo.

Elicio specificè dubia tria principalia infra scripta. Primum est, utrum decretum per Dominum Martinum de plenitudine potestatis factum, in forma in qua est, de jure valuerit & tenuerit, & an ei illud facere licuerit. Item secundum, an subscriptio Dominorum Cardinalium subsecuta eos taliter circa electionem Romani Pontificis ligaverit quò minus liberè ea non obstante ad electionem præfati Domini nostri Papæ procedere potuerint, dicto de Capranica ad eam non vocato vel admissio. Item tertium, supposito sine præjudicio, sed non concessio, quòd decretum prætensum valuerit, & subscriptio Dominorum Cardinalium circa electionem eos ligaverit, utrum præfatus Dominus noster Eugenius sit verus Papa, & contra ejus electionem objectio dicti de Capranica dicentis quòd propter non admissionem ipsius ad electionem Apostolici sit admittenda vel ejus electio ad summi apicem quomodolibet impugnanda vel in dubium revocanda.

Vt sim brevis & clarus, quia nihil tam congruum legibus quàm claritas in authent. de testam imperfecto circa medium octavæ collationis.

Ad primum dubium videtur attendendum quòd decretum prætensum fuit & est nullum, scandalosum, pessimi exempli, & plenum periculosissimi & tristissimi in Ecclesia Dei eventus, & universalem Ecclesiam notoriè scandalizans, & per consequens Domino Papæ Martino id facere non licuit, nec subscribere meruit. Quæ rationibus sequentibus comprobantur. Ut tamen meliùs videatur quia disputatione certandum est, ratione tamen vincendum. ff. de munerib. & honor. l. Munerum. §. Mixta munera. 23. q. 6. Videt.

Quia igitur hoc pro bono & evidenti utilitate
universalis Ecclesiæ & totius Christianitatis, & ut
schismata & scandala & turbationes ac confusiones
à populo evitentur, providè decretum est & à san-
ctis patribus ordinatum in sacris Conciliis genera-
libus quòd ad Cardinales pertinet Papæ electio, &
Papa illa immutare vel eis derogare vel formam no-
vam constituere & ordinare aut illam destruere vel
alterare per quod status Ecclesiæ deformetur non
potest, imò usque ad animam & sanguinem illa serva-
re tenetur, ut seriosè hæc habentur 25. q. 1. *Quæ ad
perpetuum sunt ordinata.* & cap. sequentibus, ubi
textus formaliter ita dicunt: *Leo Papa Anatolio
Episcopo.* In rubro: *Non debent ullo modo variari
quæ ad perpetuum sunt ordinata quietem.* In textu:
*Quæ ad perpetuam ordinata sunt generaliter utilitatem
nulla commutatione varientur, nec ad privatum tra-
hantur commodum quæ ad bonum sunt commune pre-
fixa; sed manentibus terminis quos constituerunt pa-
tres, nec injustè usurpetur alienum, sed intra fines ip-
sos atque legitimos, prout quisque valuerit, in latitu-
dine se exerceat caritatis.* Sequitur ibidem in su-
percriptione: *Item Hilarius Papa.* In rubro: *Di-
vinas constitutiones, id est, apostolica sedis decreta,
nulli temerare licet.* Item sequitur aliquibus inter-
positis in supercriptione: *Item Urbanus Papa.* Sequi-
tur in rubro: *In quibus Romano Pontifici licet no-
vas condere leges.* Sequitur textus: *Sunt quidam di-
centes Romano Pontifici semper licuisse novas condere
leges. quod & nos non solum non negamus, sed val-
de affirmamus. Sciendum verò summopere est quia in-
de novas leges condere potest unde Evangelista aliquid
nequaquam dixerunt. Vbi verò aperte Dominus vel
ejus Apostoli & ejus sequentes sancti patres senten-
tialiter aliquid diffiniverunt, ibi non novam legem
Romanus Pontifex dare, sed potius quod predicatum*

est usque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & Propheta destruerent, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. Sed hoc procul sit ab eis qui semper Ecclesiam contra luporum insidias optime custodierunt. Concordat Marc. x. Item sequitur ibidem in rubro: *Apostolica sedis auctoritas contra statuta sanctorum patrum aliquid condere non valet.* Sequitur textus: *Contra statuta patrum condere aliquid vel mutare nec huius quidem sedis potest auctoritas.* Apud enim in convulsis radicibus viget antiquitas, cui decreta dicta patrum sanxerunt reverentiam. Et sequitur ibidem. *Item Marcellus Papa.* Et in rubro: *Stare non potest nec valet quod contra evangelicam vel prophetica vel apostolicam doctrinam seu constitutionem factum fuerit.* Sequitur textus: *Omne quod irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia.* Et infra: *Injustum iudicium, id est, diffinitio injusta regio metu vel iniuria fuerit à iudicibus ordinata, non valeat; nec quicquam quod contra evangelicam vel prophetica vel apostolica doctrina constitutionem vel eorum sive sanctorum patrum actum fuerit stabit; & quod ab infidelibus vel ab hereticis factum fuerit, omnino cassabitur.* Item sequitur ibidem in rubro: *A statutis patrum non deviare &c.* Sequitur textus: *Prima salus est recta fidei regulam custodire, à constitutis patrum nullatenus deviare.*

Primò tamen videtur quòd valuerit; quia Papa Christi vicarius, Petri successor, omnia potest, & solus habet potestatis plenitudinem, cunctos iudicans, ipse autem à nemine iudicatur, imò de eius potestate [dubitare] sacrilegium videtur; ut hæc sparsim probantur & plenius exarantur 9. q. 3. *Nemo.* cum septem capitibus sequentibus. 2. q. 6. *Decreto.* & cap. sequenti. 40. di. *Si Papa.* cum infinitis concordantiis. Facit Cod. *De crimine sacrilegy.* cum similibus.

Item dixit Iesus Christus Simoni Petro & successoribus suis : *Quodcunque ligaveris super terram &c.* Matth. 16. extra qui filii sunt legi. *Per venerabilem.* prope finem. & de re judic. *Ad apostolica.* lib. VI.

Item advertendum quòd licet facta fuerit de plenitudine potestatis. Quæ verba sunt maximæ importantiæ, efficaciam, & effectus, ut infra plenè declarabitur. Ergo &c.

Contrarium pro veritate videtur addendum rationibus sequentibus ; quæ fundabo primò rationibus humanis, demum per auctoritates sacræ scripturæ & Doctorum Theologorum.

Primò certum est quòd Papa sibi successorem non potest eligere. Illa enim venit à Deo. Iohannis XX. *Pasce oves meas.* §. q. I. *Moyfes.* & c. *Si ergo.* Quod singulariter in eo quòd non fuit permiffum Moyfi de successore ordinare, ut infra latiùs dicetur in versu *Item advertendum est.*

Sed Papæ electio ad sacrum collegium Dominorum Cardinalium tam de jure communi quàm approbata & inveterata & observata consuetudine pertinet Cardinalibus, cum auctoritas nomine totius christianitatis & universalis Ecclesiæ sacrorum Conciliorum & sanctorum Patrum decretis libera est ad hoc attributa potestas. 23. di. *In nomine Domini.* & Lateranensi & Lugdunensi & Viennensi generalibus Conciliis elec. *Licet de vitanda.* ubi hæc notat Ostiensis : Et facit e. ti. *Vbi majus* lib. VI. & cap. *Ne rationi.* eo. tit. in Clementinis. Hoc eis etiam competit ex diuturna imò longissima & approbata consuetudine tanti temporis de cujus contrario non extat memoria ; quæ etiam jure scripto cessante pro jure constituto haberetur. ff. *De aqua cotid. & astiva.* l. *Hoc jure.* §. *Ductus aquæ.* & de verbor. signif. cap. *super quibusdam.* §. *Præterea.* De prescription. ad decimas. lib. VI. Obtentum enim fuit &

observatum à dictis citra temporibus inconcusse quòd ille quem Cardinales vel eorum duæ partes in Papam seu summum Pontificem canonicè elegerunt, nunciacione & publicatione facta Principibus & aliis de quibus fieri solitum est, fuit pro tali ab omnibus Regibus & Principibus & à toto Christiano populo & Ecclesia universali reputatus, habitus, tentus, & receptus, eique ut tali paritum & obeditum inconcusse, & obeditur hodie palam, publicè, & notoriè. Et hanc potestatem habent Cardinales ipsi, non ab homine, sed à Deo immediatè; ut infra clarè probabitur & dicetur. & hæc omnia sunt obtenta & à dictis temporibus observata. Facit quod notatur in dicto cap. *Licet* per Ostiensen,

Item Cardinales sunt Capitulum universalis Ecclesiæ, ut notatur 12. q. 2. *Cum redemptor. & c. Abbatibus.* per Archid. & notatur *Cod. De bonis qualiberis. l. Cum multa.* per Baldum. Facit quod notatur de judic. *Cum venissent* per Iohannem Andream. Sicut igitur Capitulum sede vacante eligit Episcopum, ita Cardinales Papam de jure communi. eod. cap. q. 2.

25. q. 2. c. 4.

Gregorius Augustino Anglorum Episcopo sic dicit in rubro: *Statuta Apostolorum prædecessorum Apostolicus destruere non debet.* Sequitur textus: *Si ea destruerem quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed everfor esse justè comprobarem teste veritatis voce, quæ ait, Omne regnum in se divisum non stabit, & omnis scientia & lex adversùm se divisa destrueretur.* Facit bene 7. q. 7. *Si illa.* Quos textus libenter inferam, quia videntur dubium & causam totam absque aliis adminiculis decidere ubi non plures concordant. Quæ jura allegat notabiliter glosa in cap. *Si Papa.* ad fi. 40. di. Facit quod plene notatur. De statu monachor. *Ad nostrum.* per Henric. di. 4. Scandala enim à subditis remove

& non seminare debet quilibet bonus pastor & princeps, & maximè Papa, qui noctes insomnes transire debet propter quietem gregis dominici sibi commissi in proœmio libri sexti & in authent. & diem iuss. collat. octava. Et infrà etiam hoc probatur. Et licèt quidam dicere possent quòd Papa circa jura prædicta posset dispensare, hoc tamen Martinus non fecit, quia de eis in genere vel in specie nullam mentionem fecit. Item & casu quo hoc posset & fecisset, hoc facere debuisset ex causa justa expressa, & ad publicam non ad privatam utilitatem. Quod hic non apparet, ut infrà statim dicitur. Item fortè dispensare non potuisset, ut ex dicendis apparebit clarè.

Item confirmatur. Quia potestas à Deo collata est Papæ ad ædificationem, non ad destructionem, teste Apostolo 2. Corint. 10. & ult. circa finem, & dicto cap. 25. q. 3. *Si ea destruerem*. Per hanc ergo cedulam seu decretum Domini Martini, si valeret, sequeretur destructio & inhabilitatio in principalibus & honorabilioribus membris universalis Ecclesiæ, scilicet Dominis Cardinalibus, qui sunt Consiliarii, assessores, & collaterales Papæ, & ad quos post ejus mortem libera futuri Romani Pontificis est à jure & decretis sanctorum generalium Conciliorum & longissima & approbata consuetudine attributa potestas, ut jam dixi. Ergo clarè patet quòd hoc facere non potuit nec debuit, nec factum tenuit.

Item advertendum quòd in dicto decreto non sunt aliqua nonobstantiæ. Non enim dicitur ibi, *nonobstante* decretali *Licèt de vitanda*, nec cap. *Significasti*, vel cap. *Vbi majus*, & cap. *Romani*. De elec. &c. Et ideo non est verisimile Romanum Pontificem, qui jura tuetur, uno verbo totam observantiam electionum multis vigiliis excogitatam atque inventam velle everti, ut *Cod. de inoffic. testam. l. Si quando*. in principio, in textu & glosa. Decreta enim

& statuta in Conciliis generalibus per sanctos patres cum tantis vigiliis ordinata & hactenus observata non potuerunt vel debuerunt sic everti per unum tale decretum, ut statim dictum est.

Item ad præmissorum confirmationem subiungitur ad propositum notabilis quæstio. Quærent Glossatores & Doctores juris canonici utrum Papa possit omnes Episcopos deponere, & tenent quod non, quia hoc esset totam universalem Ecclesiam scandalizare & turbare, ut hæc notantur 9. q. 3. *Per principalem*. quam sequuntur Archidiaconus & alii. Maxima enim causa & multiplex probatio & solemnis processus & discussio exigitur in depositione & inhabilitatione unius solius Episcopi Cardinalis; quia requirerentur LXX. testes, in Presbytero vero Cardinale LXIV. in Diacono Cardinale XXVI. 2. q. 4. *Præsul.* & capite sequenti. Facit quod notatur de schismat. cap. unico, lib. VI. Quanto ergo debet major causa subesse & processus solemnitas observari & causa ponderari in depositione multorum, arg. *De sacrosanct. Ecc. authent. Multò magis.* Et facit 15. q. 7. *Felix & c. si autem.*

Concluditur ergo evidenter quòd excommunicare vel inhabilitare Cardinales vel novam eis dare formam in electione Papæ non potuit fieri sub conditione. Inhabilitatio enim & exactorizatio similis est morti civili, *Cod. de Primicerio. l. 2. lib. XII.* Et notatur ff. *de Senatorib. l. Cassius. Facit. ff. De manum. vindicta. l. Insta.*

Constat autem quòd Papæ non permittitur aliquid facere per quod Ecclesia notoriè scandalizetur vel ejus status universaliter turbetur, cum sit positus ad ædificandum, non destruendum; ut est dictum, & infra dicetur latius. Non enim debet sustineri nec ab Ecclesia defendi per quod constat scandalum in Ecclesia generari, *Ne Clerici vel monachi secularibus.*

& cap, *Igitur*. Et per hoc decretum iu nullo potuit detrahi formæ traditæ in Conciliis generalibus &c. Et notatur in dicto cap. *Licet* super verbo *In Ecclesia Dei*, & dicto cap. *Licet*. Ita enim est Vicarius illius qui non venit solvere legem & Prophetas, sed adimplere, Matthæi quinto capite. Et infra dicitur plenè circa secundum dubium.

Præterea istud decretum vel ordinationem facere est una maxima & aliàs invisâ novitas, ex qua nulla secuta est nec sequi poterit in Ecclesia Dei communis utilitas. Solùm enim illud factum est ad privatam aliquorum particularium utilitatem, & per consequens non valet; quia in rebus novis constituendis evidens debet esse communis utilitas. ff. *De constit. Princip. l. fin.* ubi est expressum. Numquid, deprecor, ex isto decreto vel ordinatione sequebatur in Dei universali Ecclesia hæreticorum vel Bohemorum conversio? Numquid Regum & Principum Christianorum tamdiu contendentium & debellantium pacificatio, numquid Græcorum reductio, vel terræ sanctæ acquisitio, vel aliquid simile? Certè minimè, nec eorum aliquod nec aliquid bonum commune in universali Ecclesia, ut statim sequetur. Ergo &c.

Si enim hoc vel eorum aliquod vel simile publicam respiciens utilitatem sequi potuisset, fortè sustineri valeret decretum ipsum vel ordinatio. Sed hic neutrum sequi potuit, sed solùm utilitas aliquorum privatorum versabatur, qui non erant nec sunt tam generosæ virtutum, & maximè iste de Capranica, qui nec genere nec scientia pollet, ut fertur, quòd aliquod ex eorum elevatione vel ad Cardinalatum assumptione bonum commune vel universalis Ecclesia reparari, reformari, vel relevari potuisset plusquam de aliorum assumptione. Æquales enim, imò majores eis de aliis nationibus reperti fuissent, &

specialiter isto de Capranica, qui conqueritur, & propter istum est quæstio quoad præsens duntaxat. Et ideo dictum decretum non fuit nec est tanti ponderis quin deridendum fuerit & contemnendum. Et si Domini Cardinales illo contempto, maxime ejus statu & conditione attentis, ad electionem Domini nostri Eugenii processerunt, bene fecerunt. Deridendum enim est & contemnendum imò expandendum quod ratione caret. ff. *De negotiis gestis. l. Sed an ultro. §. 1. Sed hanc sententiam Celsus deridet.* ff. *De decretis ab ord. l. fi.* Et facit *C. de legib. l. fin. 68. di. Chorepiscopi*, ubi est expressum.

Hæc non dico ad injuriam dictorum quatuor Dominorum in cedula nominatorum. Audio enim quod valentes Domini erant omnes. Iste tamen de Capranica minoris conditionis & status inter alios. Sed non tanti omnes fiunt quod propter eos tale decretum tam periculosum fieri necesse fuisset in scandalum verisimiliter futurum totius universali Ecclesiæ, & specialiter de Capranica, per quem scandalum schismatis paratum esse dicitur in Dei Ecclesia propter ejus conquestionem. Quod si sequeretur, quod absit, melius esset nobis si natus non fuisset homo ille, *Math. 25. & Marci 14.* Et etenim Papa eos cardinalare voluisset, hoc sine scandalo facere potuisset, non autem tales viam & modum amplecti vel servare per quem confusio, scandalum, vel inconveniens sequi in Ecclesia universaliter poterat; quæ bonus Princeps à subditis tollere debet, non eis viam parare, ut authent. *Divina jussio. Collat. octava, & supra dictum est.*

Item attendendum est ad causam vel rationem decreti dicti Domini Martini, quia verisimiliter hoc, ut arbitror, factum fuit ad finem quod successor dicti Martini Romanus vel Italicus eligeretur, attempta natione omnium istorum Dominorum qua

quor nominatorum, quorum duo Romani, alii Italici dicuntur; & præsumitur quod indirectè volebat idem Martinus sibi de successore Italico providere, quod sibi isto modo non licuit. Quare rogare debet Prælatus Deum ut ei bonum tribuat successorem 7. q. 1. *Petisti*. in fin. non autem eum sibi eligere vel directè seu indirectè ordinare. Ad Deum, non ad hominem, hoc spectat, Ioh. 20. ibi: *Pasce oves meas*. De elect. c. *significasti*. & 8. q. 1. *Moyses*. & c. *Si ergo quia adeo habet primatum* 21. di. c. *In novo*. & c. seq. Et ejus electionem Deus sibi reservavit, 79. di. c. ultimo. Facit illud: *Item dabo vobis pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*. Facit De judi. c. *Novit*; ibi: *ad regimen universalis Ecclesia superna dispositione vocati & c.* Item ibidem post medium, *quia potestas nostra non est ex homine, sed à Deo*. & infra etiam dicitur secundùm Theologos,

Et propterea contemnere potuerunt & debuerunt Domini Cardinales, repulso ipso de Capranica, dictum decretum tamquam illicitum, insolitum, exorbitans contra jus & utilitatem publicam & contra canonicas sanctiones & decreta patrum condere nihil potest, 25. q. 2. *Decessorum*. 35. q. 9. *Quod quis*. Facit cap. *Si contra jus vel uti. pu. l. Rescripta contra jus*. ut supra.

Item & quatenus de facto processit, est dictum decretum à sacro Concilio vel à Domino nostro Papa tamquam scandalosum, confusione plenum, pessimi exempli & pestiferi schismatis præparativum, & Ecclesiæ universalis turbativum, revocandum. Hoc enim facere Dominus noster Papa solus non potest sine sancta synodo, ut probatur De sepulturis *Dudum* in principio, in Clement. De immunit. Ecclesiar. Clem. unica in quibus est expressum, etiam in casibus minùs dubiis quam sit iste. In dicta enim

Clementina unica ultimò allegata Papa constitutionem Bonifacii VIII. etiam in favorem & pro bono totius cleri ordinatam propter vitanda inter Principes scandala sustulit & revocavit. Quanto magis ergo ubi hoc concernit favorem totius universalis Ecclesiæ, sicut in proposito, hoc facere potest imò debet, non videtur dubium.

Item pro præmissis facit una ratio civilis, quæ talis est. Leges civiles dicunt quòd testator habens pulcram domum & decoram in civitate, quamvis sit ipsius plenus & in solidum dominus, tamen non potest columnas marmoreas vel alios lapides magnos & decoros in ea positos à dicta domo detrahendos alteri legare, vendere, vel donare; ut sunt tex. ff. *de contrah. empr. Senatus. Cod. de edific. privatis. 2.* Et est ratio politica, ne urbs ipsa vel publicus aspectus ipsius deformetur ruinis; ut dicunt tex. in dictis titulis. Nunc ad propositum. Ex hoc sequitur quòd Papa, qui non est ita dominus universalis Ecclesiæ sicut privatus est dominus rei suæ, cum ipse Papa solum minister rationabilis & dispensator Ecclesiæ & rerum ecclesiasticarum existat, ut infra dicitur, non potuit ergo unam vel pulres columnas aut lapides vel membra decora universalis Ecclesiæ, scilicet Dominos Cardinales, ab ipsa domo & Ecclesia tollere, vel quoad electionem eos inhabiles reddere, vel exauctorizare, maximè sine causa rationabili. Per hoc enim ipsa universalis Ecclesia, quæ consistit in capite & decore membrorum maximè principalium Dominorum Cardinalium, dehonestaretur &, ut ita dicam, dismembraretur, & Ecclesia ipsa & ipsius publicus aspectus deformaretur ruinis, turbareturque, & scandalizaretur; ut de se patet, & supra dictum est. Hoc clarè habetur. Propter quod Papa dictum sic Ecclesiam deformans decretum facere non potuit, nec factum valuit. Et ipsa videtur ut-

gens & legalis ratio facere, quia nemo potest face-
re quin iura in factis suis locum sibi vendicent. ff.
De C. i. cap. Nemo. Et quamvis Princeps sit solutus
legibus, tamen secundum eas vivere debet. *Cod. De*
legib. Digna vox cum similibus. Non enim debet
solvere legem, sed adimplere, ut supra dictum est,
& infra latius dicitur circa tertium dubium.

Quod autem Papa non sit dominus nec tantum
jus in Ecclesia vel ecclesiasticis personis habeat quàm
homo privatus laicus habet in re sua, (cujus est arbiter
& moderator plenus. *Cod. Mandati l. in re man-*
data) evidenter ostenditur rationibus & auctori-
tibus multis. Primò ipsius Iesu Christi dicentis Lu-
cæ 22. *Qui precessor est in vobis, sit sicut ministra-*
tor. Et Apost. 1. Corinth. *Sic vos aestimet homo ut*
ministros Dei & dispensatores &c. Et ipse Petrus ait:
Non quasi dominantes in clero, sed forma facti gre-
gis &c. Et alibi procuratores sunt Prælati, non
domini. *De donat. cap. 2.* Quod etiam de Papa in-
telligitur, ut infra statim dicitur, & probatur *De*
præbend. cap. 2. libro sexto. ubi dicitur quod Papa
habet plenariam dispositionem omnium beneficio-
rum. Non dicit dominium. Ex quo sequitur quod
Papa non potest ad libitum detrahere bona Eccle-
siarum, ut quod adimit de ipsis teneat; (Hoc enim
facere posset, si esset dominus) sed cum sit admini-
strator & dispensator bonorum Ecclesiæ, in quo re-
quiritur bona fides, non habet sibi collatam potesta-
tem in eis nisi ad communem Ecclesiæ utilitatem;
quia potestatem ei dedit Deus ad ædificationem,
non ad destructionem, ut dictum est. Ex quibus se-
quitur quod si Papa pro libito detrahat bona Ec-
clesiæ, & ea non dispenset bona fide, de jure non te-
net quod agit, & non solum tenetur agere pœniten-
tiam de peccato propter abusum rei; sed si infide-
liter agit, ad restitutionem tenetur, si aliunde ha-

bet, cum sit defraudator rei alienæ. Secus si esset dominus; quia in re sua quilibet est legitimus administrator, ut est dictum. Verba sunt Domini Cameracensis Cardinalis in tractatu suo infra sæpius allegando.

Item dicit Ægidius Avinionensis Episcopus in cap. *Ad succidendos*, *De schismat. lib. v. i.* quòd cum Papa sit administrator & vicarius, non debet potestate sua malè uti, nec jura aliorum occupare, nec in præjudicium alterius judicare, facere, vel ordinare; quòd si fecerit, successor suus hæc debet revocare; ut notatur *De sequestrat. possess. & fruct. cap. i. lib. v. i.* per eundem. *Postquam ad diversa mundi partes dispersi fuerunt Apostoli, Petro tamquam principale officium gerenti assistebant tamquam Cardinalatus ministerium exercentes, sicut nunc Papa assistunt Cardinales tamquam ejus principales accessores & Consiliarii atque cooperatores in regimine universalis Ecclesiæ. Postquam verò Apostoli à Petro separati in opus prædicationis diversa mundi loca peritstrantes speciales sibi dioceses fortiti sunt, ex tunc episcopale officium. De quorum cardinalatu intelligi potest illud propheticum 1. Reg. 2. Domini sunt cardines terra, & posuit super eos orbem. Ex quo iterum sequitur quòd prius fuerunt Cardinales orbis quam urbis. Nam sicut Petrus fuit Papa orbis, id est, universalis Ecclesiæ, antè quàm Episcopus Ecclesiæ Romanæ, sic & Apostoli prius fuerunt Cardinales orbis antequàm aliqui fuerint Cardinales Romanæ urbis, ut supra dictum est in quarta questione. Cujus conclusionis verba, quia faciunt ad propositum, sunt ista; quòd Petrus fuit prius Pontifex summus quàm Episcopus Romanus. Vtrumque tamen episcopatum à Christo immediate recepit. Pro cuius declaratione sciendum est quòd quando Christus constituit Pontificem summum dicens, *Pasce oves meas, & eisdem verbis ei potestatem dedit**

erigendi sedem ubicunque vellet, ut ibi esset particularis Episcopus. Vnde, sicut ecclesiastica tradunt historia & sanctorum patrum decreta testantur, Petrus quatuor annis tenuit cathedram Ecclesie nullam sibi particularem eligendo Ecclesiam, sed tamquam Prælati & caput omnium fidelium sedebat ubicunque volebat. Vnde in Hierusalem, ubi legitur Iacobus statim post passionem Domini à Petro & Apostolis fuisse Episcopus ordinatus, Petrus licet in omnibus præfuerit, tamen illam Ecclesiam tamquam sibi specialem non elegit, sed post quatuor ferè annos Antiochia sedit annis septem, & illam sibi Ecclesiam appropriavit. Deinde verò apparente sibi Christo & eodem revelante sedem suam Romam transtulit, & ibi factus est Romanus Episcopus, ut ibi proficeret. 7. q. 1. Mutationes. Et ita ex tunc in Petro & suis successoribus duo episcopatus concurrerunt, videlicet universalis Ecclesie, & particularis Ecclesie Romanæ. Et hic finis dictæ quartæ conclusionis. Redeo ad præscriptam sextam conclusionem. In signum verò dictæ discretionis investitura papatus dicitur Papæ investitio de papatu Romano, ut præsit urbi & orbi. In utroque verò tam urbis quam orbis præsentia coassistunt Cardinales, tamquam speciales ipsius coadjutores vice & nomine tam Romanæ quam universalis Ecclesie. Et ideo ipse Papa ante suam consecrationem profiteri debet de sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalium consensu, directione, & commemoratione ministerium summum agere atque peragere, ut patet in professione quam fecit Bonifacius VIII. quæ incipit: Ego Benedictus Caietanus. Ex præmissis sequitur septima conclusio, quòd sacro collegio vel senatui Apostolorum succedit in ordine hierarchiæ sacrum collegium Cardinalium, videlicet quantum ad illud statum quo Apostoli assistebant Petro antequam post eorum divisionem fierent particularium Ecclesiarum Episcopi. Statui autem Apostolorum, in quantum fue-

runt Episcopi, succedit ordo Episcoporum. Et ita intelliguntur dicta sanctorum ex quibus sumitur illa glossa Luca x. super verbo: Designavit & alios septuaginta duos: ubi dicitur quod sicut in Apostolis forma Episcoporum fit, in septuaginta duobus Discipulis forma est ministrorum secundi ordinis, & omnis potestas sacerdotalis ad hos duos ordines reducitur.

Deinde post decimam conclusionem dicti operis subjungit idem Dominus ad probationem prædictorum in septima conclusione hæc verba: Circa septimam conclusionem nota quod aliquibus videtur quod Silvester fuit primus qui Cardinales vocavit, ut 2. q. 4. Præsul, & fuit id capitulum conditum in generali Concilio, ut ibi patet. Aliis videtur quod Marcellus Papa. Cujus scripta videre volui propter hæc & alia multa infra dicenda in multis locis. Quæ scripta solemnia gesta magnalia sunt in Avinione in monasterio sancti Martialis, ubi sunt ultra viginti quinque volumina grossa per eum facta tam super toto jure canonico quam in consiliis.

Si igitur hoc de rebus Ecclesiæ æstimationem recipientibus Papæ non conceditur, multo minus concessum est in personis ecclesiasticis, maxime in majoribus & principalibus, videlicet Cardinalibus, arg. in dicta aut. multo max. cum similibus.

Item probatur alia ratione quod non potuerit Papa sic sine maxima causa Cardinales omnes pure vel sub conditione excommunicare vel inhabilitare, quia etiam unicum Cardinalem Papa deponere vel inhabilitare non potest, sed hoc pertinet ad Concilium generale. De Clericis non resident. cap. 1. Et ibi expressim per Innocentium, quem sequitur novellator & Ancarano. Et est ratio secundum eos, quia Cardinales, tamquam maximi, debent speciali prerogativa lætari. De off. leg. cap. 1. lib. sexto. Et sunt pars corporis Papæ, quicumque judicant orbem. *Qui filij*

filij sunt legit. Per venerabilem; ut infra dicitur. Propter ergo tantam vicinitatem debent esse participes privilegii singularis. ff. de excus. tutor. l. Non tantum. Et una eadem res non debet diverso jure censerī. ff. de usurpat. l. Eum qui ades. & De decim. Tua. ut notant Dominus Iohannes Andreae & Ancarani in dicto capitulo secundo post Innocentium.

Sed contra hoc facere videtur *De schismat. Ad succidendos. lib. vi.* ubi Bonifacius Papa solus de fratrum suorum consilio deposuit Cardinales de Columna. Respondetur quod ibi suberat causa evidentissima, & etiam enormis error & delictum notorie Cardinalium ipsorum. Et ideo secus hic, secus ibi. Item illa decretalis fuit per Benedictum XI. dicti Bonifacii immediatum successorem revocata, ut ibi dicit Archidiaconus. Redeundo igitur ad propositum, nunc rationes sacrae scripturae & auctoritates Dominorum Doctorum Theologorum ad praemissorum confirmationem in medium deducantur.

Theologi dicunt. Saero collegio vel senatui Apostolorum succedit collegium Dominorum Cardinalium, scilicet quantum ad illum statum quo Apostoli post Christi Ascensionem assistebant Petro antequam post eorum divisionem in orbe fierent particularium Ecclesiarum Episcopi, ut infra clarè dicitur. Pro cuius latiori declaratione, & ut sciatur origo Cardinalium, & quam potestatem habent in Dei Ecclesia, est advertendum quod bonae memoriae Dominus Petrus Cameracensis Cardinalis, summus Theologus, quem ego vidi, & cum eo saepe locutus fui, in quodam solemnī tractatu quem fecit de ecclesiastica potestate circa principium in sexta quaestione dicit formaliter & multum notabiliter ad propositum in haec verba.

Sexta conclusio. Licet nomina papatus & cardinalatus tempore Petri & aliorum Apostolorum non

Part. 1. oper.
Gerson. pag.
299.

fuerint in usu Ecclesia, sed postea crescente Ecclesia in
 titulum honoris ex devotione fidelium hac nomina,
 sicut & nomina Patriarcharum, Primatum, Archie-
 piscoporū, Episcoporum, in usum venerunt à sanctis
 patribus approbatum, unde ecclesiastica potestates di-
 ctis nominibus papatus & cardinalatus nunc desig-
 nata, ex tunc in Apostolis præfulserunt, videlicet in
 Petro papalis dignitas & in ceteris cardinalatus au-
 thoritas. Pro cuius declaratione sciendum est quòd, si-
 cut patet ex discursu historia actuum Apostolorum &
 aliis ecclesiasticis historiis ac sanctorum patrum di-
 cretis, ante divisionem Apostolorum & c. De elec-
 cap. Vbi majus, lib. sexto. Et in hoc non refert,
 quia debet attendi effectus, & non vocabulum. De
 verb. signific. Intelligentia, cum tribus capitulis
 sequentibus. Et nota quòd Hostiensis & quidam
 Doctores canonici multa ponunt de auctoritate Car-
 dinalium tam sede vacante quàm plena in cap. Ad
 liberandam. De Iudæ. & in cap. Cùm ex eo
 De pœnitent. & remiss. & cap. Antiquam, De
 privileg. in cap. Nullus. 79. di. & in cap. Ego N.
 De iurejur. in cap. Fundamenta. De elect. & in
 cap. 2. De offi. Legat. lib. vi. & in Extravagantibus
 Execrabilis. Circa septimam conclusionem nota quòd
 Cardinales etiam non Episcopi præcedunt Episcopos
 quia comparantur Senatoribus, quierant primi post Im-
 peratorem, & dicebantur patres conscripti. Et de hoc
 per Archidiaconum De offi. Legat. c. 1. li. vi. &
 pro hoc 96. di. Constantinus. ubi concedit Constanti-
 nus ut uterentur ornamentis Senatorum. Et dato quòd
 nullo jure probaretur, sufficit quòd hoc est receptum à
 tempore de cuius contrario non est memoria. Nam tale
 tempus habet vim legis. De præscript. c. 1. li. vi. &
 ff. De aqua cotid. & æsti. l. Hoc jure. §. Ductus
 aquæ.] Et paucis interpositis sequitur ibidem quòd
 sacer ille Senatus Cardinalium à cardine nomen

Pag. 904.

Pag. 905.

reput. 22. *Sacrosancta* super verbo *Cardo*. per Archid. Et sequitur. *Nota quòd electio Papæ pertinet ad Cardinales, non solum de iure, sed etiam de consuetudine diu obtenta, ut notat Hosti. De elect. Licet Et hæc consuetudo secundum philosophum dicitur altera natura, & habet vim legis, & legem interpretatur & corrigit. De consuet. Cum dilectus.*

Item ad Cardinales pertinet hæc electio tamquam ad clerum Romanum seu principales de clero Romano. arg. 24. di. c. 1. *Favit.* 79. di. c. 2. & c. Si quis ea. & c. Si quis pecuniam. Sed ultra præmissæ humana & positiva jura restat in jure divino fundare statum hierarchicum Cardinalium & eorum auctoritatem. Vbi prius supponendum est quòd Christus Ecclesiam suam instituit statibus, officiis, & gradibus variis hierarchicis, juxta illud Apostoli ad Eph. 4. Vnicuique vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. quod est Ecclesia. Et eadem sententia habetur 1. Corinth. 12. Et hæc perfecta & completa statuum distinctio maxime in die Ascensionis instituta est, ut notant præmissa verba Apostoli allegantis illud: Ascendens in altum dedit dona hominibus. Ex quo sequitur quòd varietas officiorum, statuum, graduum, & dignitatum in Ecclesia non principaliter est ex institutione Ecclesie, nec cuiuscumque puri hominis auctoritate processit. Quare nec etiam destituere potest ea homo sive destruere. Vterius supponitur quòd præmissa officiorum varietas ad sui pulchritudinem & ordinem requirit quòd inter auctoritates Ecclesie legitimas sit hierarchica subordinatio, & quòd una, scilicet papalis auctoritas, sit suprema ex Christi

institutione, & non humana auctoritate, sed divina, juxta illud Ioh. 20. Pasce oves meas. Unde licet pluraliter dicat Apostolus, Dedit Apostolos seu Episcopos, tamen ad innuendum id quod dictum est premisso. Unicuique vestrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Quasi diceret quod uni plus, alteri minus donatum est, & uni supremum regimen ecclesiasticum commisit. Ideo dicit idem Apostolus 1. Corinth. 10. Nos non in immensum gloriemur, sed secundum mensuram regulæ quam mensus est nobis Deus. Vbi glossa: Usurpantes sibi regimen animarum sine commissione Christi aut sui Vicarii, & potestatem commissam ultra terminos sibi præfixos extendentes, non secundum mensuram regulæ, sed in immensum gloriantur. Ex præmissis insertur quod sicut status Pape, sic post eum status Cardinalium ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ ex Christi institutione pertinet. Nam ipsi, quantum ad hunc statum, statum apostolico immediatè succedunt. Pro cuius declaratione sciendum est quod Apostoli possunt tripliciter considerari, primò ut Christo principaliter astiterunt ante eam Ascensionem, secundo ut astiterunt Petro tamquam primo pastori ante Apostolorum divisionem & separationem à Petro, tertio ut ex præcepto Christi, postea à Petro separati, per mundum se dividerunt; ut in sexta conclusione tactum est. In primo statu Apostoli fuerunt pares, nec Petrus eis præerat. In secundo & tertio statu præerat eis Petrus. Et quantum ad primum & secundum statum Cardinales representant Apostolos in hoc quod assistunt Pape, qui est Vicarius Christi & Petri successor. Sed quantum ad tertium statum, Episcopi succedunt Apostolis, ut in dicta sexta conclusione præmissum est. Et hoc notavit Apostolus distinguens statum Ecclesiæ, cum distinguit statum pastoralem, cui incumbit cura animarum particulariter à statu apostolico, ad quem spectat regimen & ordinatio totius Ecclesiæ ge-

neraliter. Et juxta hanc sententiam dicit Archid. 22. di. Sacrosancta. quòd Papa se debet inter Cardinales commenerare ratione status apostolici in quo sunt, condiuidendo eum à pastorali statu, licet etiam Apostoli fuerint pastores. Sed status in se sunt diversi, & prius fuerunt in statu apostolico per Christum instituti quàm in pastorali per Petrum; quia ante passionem omnes duodecim fuerunt Apostoli, sed post passionem factus est Petrus à Christo omnium pastor; & tunc status pastoralis fuit ordinatus, licet apostolicus status antè fuisset. Petrus ergo & sui successores retinuerunt utrumque statum, sed Cardinales apostolicum duntaxat. Et ita est diversitas inter nunc vocatos Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos, qui in statu apostolico vario modo succedunt Apostolis. Notatur in glossa primæ ad Corinth. 3. super illud dictum fidelibus. Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas. Nam ut dicit glossa, Paulus erat Apostolus Corinthiorum, Apollo Archiepiscopus eorum; Cephas, id est, Petrus, omnibus major erat. Vnde ulterius sequitur quòd ad statum Cardinalium tamquam ad statum apostolicum primo pertinet unà cum Papa regimen & ordinatio Ecclesie; quia ex caritate se obligant ut cum capite suo Christi Vicario generaliter fidem & christianitatem usque ad sanguinis effusionem defendant, in cujus signum capellum ribeum portare dicuntur. Ex quibus sequitur quòd Cardinales sunt in statu perfectionis altioris quàm sit generaliter status pastoralis; quia inferiores pastores tenentur se exponere pro grege particulari, sed Cardinales tenentur se exponere pro Ecclesia. quod est perfectius; quia bonum quanto communius, tanto divinius, ut dicit philosophus.

Hæc sunt forma formalia præfati bonæ memoriæ Domini Cardinalis Cameracensis in dicto tractatu sparsim descripta, quæ hic propter ejus auctoritatem & verborum notabilitatem transcribi feci for-

maliter & fideliter, quia tractatus ille apud omnes communiter non habetur, & sunt multa notabilia ad propositum meum, per quæ patet quòd status Papæ & etiam Cardinalium à Christo immediatè est institutus & ordinatus originaliter. Ponit etiam quia potestatem quam habent Papa & Cardinales secundùm scripturam divinam, ex Christi ordinatione processit. Quæ non noverunt omnes humani juris professores. Quæ potestas est ad ædificationem, non ad destructionem. Et ideo non potuerunt Papa & Cardinales transgredi terminos quos posuerunt patres sui; exemplo Christi, à quo sunt immediatè instituti, non debuerunt solvere legem ejus, sed adimplere. *Matth. 5.* Et infra magis declarabitur. Per Dominum igitur Martinum Papam non potuerunt nec debuerunt ita destitui vel inhabilitari Cardinales, etiam ipsis consentientibus, sine causa legitima; & per consequens decretum præensum non valuit, neque valet, imò contemnendum, ut supra dictum est, & specialiter quia non ad utilitatem publicam & communem, sed privatam totaliter, & sine causa rationabili & legitima, sed pro una triffa & fabula, ut ita dicam comparativè. Non enim hoc Papæ permissum est, ut supra sæpe scriptum est & infra dicetur. Multa alia sunt in dicto tractatu, quæ hic convenienter addi possent, quæ gratia brevitas transcribere omisi. Recollegi tantùm ex eo quæ magis ad casum & dubium nostrum mihi pertinenter facere visa sunt.

Ex quibus ulterius sequitur secundùm eundem quòd licet debeat obediri Petro & ejus vicario tanquam capiti suo in iis quæ pertinent ad ædificationem, non tamen in iis quæ pertinent ad ejus destructionem, quod etiam expressè probat Apostolus secunda ad Corinthios 10. ubi ait: *Nam si amplius gloriatus fuero de potestate nostra quam nobis De-*

minus dedit in ædificationem, non in destructionem, & in cap. ult. in finem, ibi: *Vt non præsens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem vestram.* Et ideo ubi Papa utitur potestate sua in ædificationem Ecclesiæ, multa privilegia specialia habet quæ sibi soli competunt; quæ notantur de translat. Episc. Cùm in generali privilegio per glossam & Doctores ple. alibi latiùs per Guillelmum in Speculo tit. de legat. §. *Nunc ostendendum*; ubi ponit casus centum numero Papæ specialiter reservatos. Et Bald. Cod. De precib. Imper. Offer. l. *Rescripta.* ubi notabiliter loquitur. Et Albericus in alphabeto juris canonici super verbo *Papa*, ubi videtur aliqua addere. Hæc tamen privilegia non habet Papa in destructionem Ecclesiæ vel ejus membrorum principalium, maxime Cardinalium, 25. q. 2. *Si ea destruerem*, supra allegatum & transcriptum. Imò concedendum est Papam ab universali Ecclesia vel generali Concilio in aliquibus, paucis tamen, casibus judicari & condemnari, videlicet in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus secundum Dominum Cardinalem, qui hoc deducit & probat rationibus in dicto tractatu. Aliàs enim sequeretur Christum, qui verum est & summum caput Ecclesiæ & institutor ejus sapientissimus, eam non perfectè & sufficienter ordinasse, quod est hæreticum & contra illud Deuter. 3. *Dei perfecta sunt opera* secundum eundem Dominum Cardinalem. Et facit illud Psalmi *Benedic. 103. Omnia in sapientia fecisti* & notatur plenè 40. di. *Si Papa*, per omnes ibi scribentes. Vbi dictus Dominus Ægidius Avinionensis Episcopus multa notabilia dicit de hoc.

Concluditur ergo quòd decretum prædictum nullum est & iniquum rationibus prædictis, & non tenendum, nec timendum. Etsi enim sententia excommunicationis, licet injusta, sit timenda, ubi ta-

men nulla est, nec tenenda nec timenda secundum Hostiensem; qui hoc notat insuper de sententia excommunicationis, §. *Quis sit effectus*, verficulo *Hæc vera sunt de sententia iusta*. Quo casu, quando est nulla, non est necessaria absolutio. 2. q. 1. *Primates*. Sententia enim excommunicationis, suspensionis, vel interdicti nulla non ligat apud Deum nec Ecclesiam, nec efficitur quis irregularis se immiscens divinis. Ita eleganter notatur de clerico excommunicante, cap. *si celebrat*, per Henr. circa principium, & de sententia excom. sacro. di. 1. per eundem. Iniquitas enim nullitati similis est. *De sententia & re jud. Pastoral. in Clem. super verbo, Non habebat pot. an. & eo. ti. Cum Bcrtoldus, super verbo, Concessimus, per Innocentiam*. Hic autem est etiam iniquitas evidens, quia omnes isti qui cardinalari debebant, erant unius nationis. quod non est æquum. Non enim sic faciebat Moyses summus sacerdos, & ejus successor Iosue, qui habebat regimen regale, & unus principaliter præerat omnibus, sub illo tamen septuaginta duo seniores de omni populo & plebe eligebantur, ut probatur Deuteronomii primo. De toto enim orbe eligendi sunt Cardinales orbem judicaturi, secundum Bernardum ad Eugenium, ut infra dicitur. Et sic patet dictam ordinationem non tantum nullam, sed iniquam & injustum fuisse & esse.

Quibus convenientissimè quæ supra dicta sunt, quod Papa non est dominus, sed administrator, & aliis præmissis adaptantur & concordant quæ venerabilis & recondendæ memoriæ Bernardus Abbas Clarevallensis ait in libello de consideratione ad Eugenium tertium Papam; quem libellum describere volui, & aliqua ex ipso sparsim scripta, quæ magis mihi visa fuerunt ad propositum, hic transcribi. Primò enim libro quarto ante medium, & ante

versum *Libet superiores*, formaliter Papam Eugenium alloquens ait: *Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore preces, Ecclesiarum matrem esse, non dominam, te verò non dominum Episcoporum, sed unum ex ipsis, porro fratrem diligentium Deum & participem timentium eum, de cetero oportere te esse formam iustitia &c.* Et subiungit qualis debet esse Papa. Quæ verbalicè sint pulcherrima, gratia brevitatis, & quia non tangunt principaliter hunc articulum, transcribere omitto.

Item idem Bernardus lib. secundo post principium dicit sic: *Blanditur cathedra? Specula est. Inde denique super intendis, sonans tibi Episcopi nomine non dominum, sed officium; quoniam in loco eminenti utinam omnia prospectes, qui speculator super omnia constitueris. Enimvero prospectus iste procinctum parit, non otium. Quomodo libet gloriari dum otiari non licet? Nec locus est otio ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Non tibi aliud divisit sanctus Apostolus. Quod habeo enim, hoc tibi do. Quid illud? Num scio, non est aurum, nec argentum non est mihi. Si habere contingat, utere non pro libito, sed pro tempore. Sic eris utens illis quasi non utens. Et sequitur statim ibidem ad propositum aliquibus interpositis: *Nec enim ille tibi dat quod non habuit. Quod habuit, hoc dedit, solitudinem super Ecclesiis, nunquam dominationem. Audi ipsum. Non dominantes, ait, in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in evangelio: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. Ergo tu tibi usurpare audeas aut dominans apostolatam, aut apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si utrumque simul habere voles, perdes utrumque. Alioquin non te**

exemptum illorum numero putes de quibus queritur Deus sic: *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & ego non cognovi eos. Iam si regnare sine Deo iuvat; habes gloriam, sed non apud Deum. At si interdictum tenemus, audiamus edictum: Qui major est vestrum, fiat sicut minor, & qui praecessor sicut qui ministrat. Forma apostolica haec est. Dominatio interdicitur, indicitur ministratio, quae commendatur ipsius exemplo legislatoris, qui secutus adjungit. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. Quis se titulo hoc inglorium putet quo se prior Dominus gloria praesignavit? Et sequuntur ibidem multa quomodo se debent gloriari exemplo Prophetarum & Apostolorum. Et sequitur: *Domabis lupos, sed ovibus non dominaberis. Pascendas utique, non premendas, suscepisti. Et sequitur: Si filius es Apostolorum & Prophetarum, & tu fac similiter. Et sequuntur multa ad propositum, quae gratia brevitatis omitto, & infra remitto latius videnda.**

Item quia fortè dicetur quòd dictus Dominus Martinus hoc fecit & ordinavit de plenitudine potestatis quam habebat, ut patet in dicto decreto, audiatur idem Bernardus libro tertio ante finem circa octo columnas super exemptionibus Prælatorum & aliarum personarum ecclesiasticarum à suis immediatè superioribus, dicens ad propositum in hæc verba: *Murmur loquor & querimoniam Ecclesiarum. Truncari se clamitant & demembrari. Vel nulla vel pauca admodum sunt quae plagam istam aut non doleant aut non timeant. Queris quam. Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis sive Primatibus. Bonane species hæc? Mirum si excusari queat vel opus. Sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ fortè non ita. Facitis hoc quia potestis; sed utrum & debeatis, questio est. Honorum & dignita-*

tum gradus & ordines quibusque servare positi estis, non invidere, ut quidam vestrorum ait: Cui honorem, honorem. Spiritualis homo qui omnia dijudicat, ut ipse à nemine judicetur, omne opus suum trina quadam consideratione præveniet; primum quidem an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. Nam etsi constet in Christiana utique philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet, non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. Age, aptemus, si possumus, tria ipsa operi huic. At quomodo non indecens tibi voluntate pro libito uti, & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem? Tunc major domino tuo, qui ait: Non veni facere voluntatem meam. Quamquam non minus dejecti quam elati animi est veluti rationis expertem, non pro ratione, sed pro libito agere, nec iudicio agi, sed appetitu. Quid tam bestiale? Et si indignum cuiusvis utenti ratione vivere ut pecus, quis in te rectore omnium tantam contumeliam natura, injuriam honoris ferat? Sic degenerando, quod absit, generale opprobrium fecisti proprium tibi. Homo cum in honore esset, non intellexit &c. Et post aliqua sequitur ibidem: Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, sterilitates, scandala, odia, quodque magis dolendum est, inter Ecclesias inimicitias graves, perpetesque discordias. Vides quam verus sit ille sermo: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Quid si forte non licet? Ignosce mihi. Non facile adducor licitum consentire quod tot illicita parturit. Tunc denique tibi licitum censeas suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos quos posuerunt patres tui? Si iustitia est jus cuique servare suum, auferre cuique sua iusto quomodo poterit convenire? Erras si ut summam, ita & solam institutam à Deo vestram apostolicam potestatem aestimas. Si hoc sentis,

dissentis ab eo qui ait : Non est potestas nisi à Deo. Proinde quod sequitur, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, etsi principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Et post pauca : Monstrum facies si manu submovens digitum, facies pendere de capite superiorem manum brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas quàm disposuit ipse. Nec tu putes alium esse qui posuit in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios doctores & pastores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in edificationem corporis Christi. Atque corpus hoc quod tibi ipse Paulus suo vero apostolico figurans eloquio & capiti convenientissimè aptans, totum compactum perhibet & connexum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis faciens in edificationem sui in caritate. Nec vilem reputes formam hanc quia in terris est. Exemplar est in celo. Neque enim filius potest facere quicquam nisi viderit patrem facientem, presertim cum ei sub nomine Moysi dictum sit : Vide facias omnia secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. Viderat hoc qui dicebat : Vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de celo, à Deo paratam sicut sponsam. Ego enim propter similitudinem dictum reor, quòd sicut illic Cherubim & Seraphim ac ceteri quique usque ad angelos & archangelos ordinantur sub uno capite Deo, & ita hic quoque sub uno Pontifice Primati vel Patriarcha, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, vel Abbates, vel reliqui in hunc modum. Non est parvipendendum quod & Deum habet auctorem & de celo ducit originem. Quòd si dicat Episcopus, Nolo esse sub Archiepiscopo, vel Abbas, Nolo obedire Episcopo, hoc de celo non est. Nisi tu fortè angelorumquempiam dicentem audisti : Nolo sub archangelis esse aut

etiam alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuique nisi Deo. Quid inquis? Prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis ut ignorem vos positos dispensatores, sed in edificationem, non in destructionem. Denique queritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Vbi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est; utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Hæc dicit Bernardus ubi supra libro tertio circa finem, qui ibidem subjungit de ambitione & generaliter super universum Ecclesiæ statum. Quæ & multa alia in dicto libello posita ad propositum hic transcribi possent, quia verba aurea sunt; sed relinquogratia brevitas. Ista enim, licet, pauca sparsim posita recollegi tamquam melius ad casum nostrum facientia; quamvis ferè totus libri discursus posset convenienter adaptari, prout dixi supra de tractatu Domini Cardinalis Cameracensis. Quem librum seu libellum Bernardi allegat & multipliciter commendat bonæ memoriæ Dominus Baldus de Perusio utriusque juris professor illustris in multis locis, & signanter ff. de offi. prætor. A. Barbatius in lectura in fi. l. qui nominat auctorem illius libelli testem veritatis, & quod verba sua sunt elegantia, plena fide & veritate. Hæc autem ultima verba Bernardi hic subjunxit; in quibus licet non fiat de Cardinalibus mentio, ipse tamen de eisdem quamplura dicit qui & quales debeant eligi & qualiter exemplo Moyfi senes, non juvenes, non tam ætate quam moribus, quia senes populi sunt & de toto orbe eligendi sunt orbem judicaturi, & multa notabilia de eisdem & eorum virtutibus; qui utinam tales essent omnes quales eos esse debere describit libro quarto post principium. Tamen præmissa pro tanto rescripsi, quia si Papa non potest vel de-

bet alios inferiores Prælatos eximere vel gravamina eis inferre, cum sit eorum Coëpiscopus, non dominus, ut latè dictum est, multò minùs potius Dominus Martinus prædictus, qui etiam inter Cardinales numeratur, ut est dictum, Cardinales excommunicare, inhabilitare, & alia quæ egit facere in favorem quatuor, non de toto orbe, nec de ejus diversis partibus, sed omnium Italicorum, & ad ipsum vel finaliter unius solius eorum utilitatem privatam & nullo modo communem, & utinam ad bonam & rectam intentionem. Quicquid sit, tamen non sequebatur ex hoc in Dei universali Ecclesia evidens utilitas quòd sic constituta & decreta & observata in generalibus Conciliis & ad quietem totius universalis Ecclesiæ cum tantis vigiliis & laboribus ordinata alterare, mutare, & confundere, aut destruere, Ecclesiam ipsam potuerit turbare, scandalizare, vel turbationem in ea ponere, plenitudinem tempestatis & confusionis ponere in eadem, quod apud sani capitis graves viros trussa vel fabula aut monstrum in Ecclesia reputatur, ut ex præmissis omnibus colligitur evidenter. Et hæc de primo dubio principali dicta possunt sufficere de præsentibus.

Restat tamen respondere ad rationes in principio in contrarium factas, quibus ex jam dictis patet ad omnes evidens responsio unico verbo; & ideo superfluum est ultra aliquid dicere. Quod enim demonstratæ rei additur, frustra est. ff. *De dote præleg. l. 1. in fine.* Et supervacuum est solem facibus adjuvare. 6. q. 1. *Si omnia.* Gratia tamen clarioris intellectus, & ut aliqua omissa dicantur, responderi potest, quando dicitur, Papa Christi vicarius, Petri successor, omnia potest &c. verum est ubi ædificat, non autem ubi destruit, ut supra dictum est, etiam si hoc faciat de potestatis plenitudine, ut statim dictum est secundum Bernardum.

Item ad id quod dicebatur, *quodcumque ligaveris* &c. respondetur quod hoc est verum si iuste faciat & mediante iustitia, clave non errante. 24. q. 1. *Maner.* &c. *Quodcumque.* & infra per glos. Idem tenet Archid. expressè 11. q. 3. *Cœpisti.* & dicto c. *Maner.* Idem tenet in cap. *Apostolica* super verbo *ligaveris.* Idem Guillelmus in speculo de pœnit. & remiss. verbo. *Quòd si in eadem persona.* Idem de Bracho in suo alphabeto super verbo *ligaveris.* & communiter omnes. Idem tenet magister Nicolaus de Lira in dicto cap. 16. Matth. super verbo *ligaveris.* Scilicet supposito hoc in terra debito usu clavis, Deus approbat in cœlis, aliter non. Verba sunt Nicolai de Lira.

Hic erravit graviter, ut ex præmissis patet; & potuit imò debuit sibi in facie resisti, nec ei obtemperari debuit. Reprehensibilis enim fuit, *ad Galat.* 2. Iudicium enim Papæ tale esse debet ut non possit nec valeat periclitari. Turpe enim est retractare quod fecit, secundum Bernardum libro quarto post principium cap. 2. Concordat lex civilis dicens quòd cavere sibi debet Princeps ut aliquid non faciat reprehensibile seu reprehensione dignum. ff. *de heredib. instit.* l. Plenè secundum Baldum, qui ibidem quamplura notabilia dicit.

Item ad hoc quod dicitur quod hoc facit Papa de plenitudine potestatis &c. patet responsio per dicta Bernardi ad Eugenium. Illa enim non debet abuti, nec ad hoc est sibi data ut destruat, sed ut ædificet iusta & plantet. Quòd si non faciat, non debet dici dispensatio, sed crudelis dissipatio.

Item Innocentius dicit quòd Papa plenitudine potestatis uti non debet nisi ex magna & iusta causa, ut notat alleganter de elec. *Innocent.* Quæ cessabat omnino in casu nostro, quia fuit merè voluntaria. Et ideo debet illa potestas restringi & temperari;

ne sequatur absurditas vel abusus secundum Dominum Cameracensem ubi supra. Hic autem sequi poterunt scandala, abusus &c. Et idem etiam dicunt Doctores canonum, ut sequitur.

Item dicit glot. Bernardi De concess. præbend. cap. *Proposuit*. quòd licet Papa habeat plenitudinem potestatis, tamen contra universalem statum Ecclesie dispensare non potest. 14. q. 1. *Memor sum*. & allegat jura multa. Facit quòd notatur 25. q. 1. *Quæ ad perpetuam*. Et ita apparet secundum Doctores Theologos & Canonum quomodo & quando debet uti plenitudine potestatis. Iura etiam civilia concordant in ratione. Potestate enim alicui data quis debet civiliter & rationabiliter uti. ff. de l. fi. Cui. ubi est textus in ratione sui.

Item advertere debebant omnes, cum essent prudentes, & futura prævidere, quia poterat ex hoc pestiferum schisma in Dei Ecclesia suboriri, quòd vitare debebant sicut venenum mortiferum, & periculum mortem quam illud pati. Præteriti enim & inveterati schismatis, quòd proh dolor per quinque lustra duravit & ultra. præteriti enim ratio scire futura facit. De elect. *Vbi*. in principio lib. v. r. per Iohannem Monachi. Vnde leguntur in mari historiarum a fratre Iohanne de Columna composito lib. 5. cap. 61. de schismate vitando formaliter verba sequentia. *Dionysius Novato fratri salutem. Si irrovitus, ut ait, ad hoc venisti, ostendas in eo si desinas volens. Oportuerat enim quidem pati omnia ne scinderetur Ecclesia Dei. Erat non inferior gloria sustinere martyrium pro eo ne scindatur Ecclesia quam est illa ne idolis immoletur. Imò secundum sententiam majus puto hoc esse martyrium ubi unusquisque pro sua tantum anima, in hoc pro omni Ecclesia martyrium sustinet. Sed nunc sive tu suadere, sive etiam cogere potes fratres redire ad concordiam. majus tibi erit emendationis meritum quam fuerit culpam commississet*

commisisse; quia illud non jam imputabitur, hoc etiam laude dignum dicetur. Si verò illi in crudelitate permanserint, tu tamen salvas animam tuam. Vale pacem desiderans quam tibi imprecor.

Ad secundum dubium principale de subscriptione Cardinalium, an eos ligaverit &c. videtur quod sic; quia se subscribendo videntur omnia contenta in decreto seu cedula approbare. *Cod. De re alien. non alie. 2.* Et ibi notabiliter facit *ff. de testam. tu. l. Ex sententia.* Et de subscriptione Cardinalium notatur *12. q. 2. cap. Cum Redemptor, per Archidiaconum.*

Contrarium dico quòd consensus vel subscriptio non nocuit quòd minùs potuerint eligere liberè dicto Domino de Capranica non vocato vel admissò. Vbi advertendum primò ad modum subscriptionis Cardinalium. Non enim aliter consenserunt Cardinales, sed simpliciter per eorum scripturam attestantur & testimonium perhibent quòd Papa ita ordinavit, non quòd pœnis ibi contentis consenserint vel se subjecerint expressè, ut patet ex verbis, quæ clara sunt, & eorum forma est attendenda. *ff. De leg. 3. l. Ille. §. Cùm in verbis.* & de privileg. *Porro.* Item videtur quòd etsi consensissent expressè etiam pœnis illis, hoc fecisse dicuntur ex nimia reverentia quam gerebant Papæ, qui erat potens opere & divitiarum & amicorum multitudine in civitate pròpria; quæ reverentia metui æquiparatur; nec dici debet propriè consensus liber in aliquo, si rubore confusus & persuasus contradicere tunc probatur. *ff. de furib. l. si.* Et facit optimè quod plenè notatur *ff. Quarum re. actio non datur. l. 1. §. Quæ oneranda.* per glot. & Bartolum. Et hoc tetigi de primo scribens. Quare non repeto. Addo. Facit benè *ff. Quod falso tutor. l. Novissimè. §. 1.* & quod notatur per Baldum ibi. Et hic ulterius advertendum quòd præmissa loquuntur in temporalibus, in quibus ordinationes, sententiæ,

vel alii actus temporales licet valeant ipso jure, obstat tamen exceptio, ut in toto titulo *De his quæ per metumve causa fiunt*. In sententia autem clavium, si excommunicationis vel alterius censuræ spiritualis sit per metum hunc lata vel alius actus factus, est nulla & nullus ipso jure, quia non debent claves vim pati activè vel passivè. *Quod met. causa. cap. 1. lib. v. 1.* cum ibi notatis. Facit quod notatur 11. q. 3. cap. *Quatuor*. Ita verò allegantes. Cod. De sacrosanct. cap. *Decernimus*. ad fin. per Baldum. Facit bene 3. q. 1. §. si. ubi textus notabilis.

Plus dico, quòd etsi liberè & purè consensum clarum omnibus præstitissent, eosdem non ligavit quò minùs potuerint impune ad electionem procedere, cum non valuerit quod egerunt, prout supra dictum est. Ad totum enim collegium seu senatum Cardinalium pertinet Papam eligere nomine & vice non sua, sed totius universalis Ecclesiæ & pro ejus evidenti utilitate tam de jure quàm consuetudine inveterata, ut est dictum. Cùm igitur hoc non ad sui utilitatem vel favorem introductum est, sed pro bono publico universalis Ecclesiæ, non potuerunt nec expressè nec tacitè illi renunciare etiam cum juramento. Hoc enim posset facere simplex Clericus quando introductum est aliquid in favorem totius ordinis clericalis, ut De foro compet. *Si diligenti*. ubi est expressum. Et hoc tenet Hostien. in propriis terminis de Cardinalibus tam in dicto cap. *Licet de vitanda*. quàm cap. *Si diligenti* allegato, Notatur plenè De renunt. 2. *Cum pridem*. §. *Propter malitiam*. & de vita & hon. Cler. c. si. ipso illo canone seu decretali *Licet*. Legatur. Nec ei possunt renunciare. Et licet sit durum, tamen est tenendum. ff. *Qui à quibus. c. Prospexit*] Hæc Hostiensis. Igitur bene facit ff. de pact. 1. *Ius publicum pactis privatorum non leditur*. & quod plenè notatur per gloti-

& Doctores modernos Cod. eod. tit. l. plenè.

Quomodo enim & qualiter potuerunt ipsi per eorum gesta vel scripturam aut subscriptionem publicum bonum universalem Ecclesiam & totum orbem, cujus sunt iudices à Deo habentes potestatem, ut est plenè superiùs deductum, sic scandalizare, turbare, confundere, & ordinem in sacris generalibus Conciliis ac decreta & facta circa Papæ electionem ordinata pervertere & mutare, aut saltem pervertioni, turbationi, confusione, aut mutationi consentire? Certè minimè, prout nec Papa talia facere potest per jam dicta. Non enim debent solvere legem, sed eam adimplere, cum sint sal terræ, ut habetur Matthæi quinto. Super quo verbo Nicolaus de Lira describens Prælatorum vitam, dicit in hæc verba: *Ad cujus evidentiam considerandum quod Pralati sunt successores Apostolorum. Et ideo debent esse perfecti in vita contemplativa & activa. Et ideo virtutes contemplativorum, quæ sunt prædictæ, supponuntur esse in eis. Et similiter quæ sequuntur de activa. Sed hic exprimuntur aliqua spiritualia quæ debent esse in eis præ ceteris, & primò quantum ad eorum vitam, secundo quantum ad eorum doctrinam, Pralati enim debent esse excellentes præ ceteris quantum ad mores. Primùm debet esse discretio in agendis, quia sunt duces & gubernatores aliorum. Et hoc designatur cum dicitur: Vos estis sal terræ. Sicut enim sale condiuntur omnia cibaria, ita discretione Prælatorum debent dirigi & ordinari omnia opera subditorum. Quod si sal evanuerit, id est, si discretio in Prælatibus defecerit, in quo salietur; quasi in nullo opere subditorum condietur seu dirigetur. Et ideo subditur. Ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foris & conculcetur ab hominibus; quia talis repelli debet à Prælatibus, ne officium Prælatorum in conspectu omnium reddatur vile. Secundum in quo debent præcellere Prælati est clara*

notitia in scripturis intelligendis. Et hoc est quod dicitur, Vos estis lux mundi. Sicut enim lux est manifestissima omnium oculorum, sic Prælati per intelligentiam sacre scripturae debent ex officio notificare omnia opera virtutum. In cuius signum portant mitram in capite, in qua sunt duo cornua. Tertium in quo debent præcellere constat in oppressionibus pauperum reprimendis. Unde dicit salvator Iohan. 11. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, mercenarius autem &c. & ibi multa de hoc. Quartum in quo præcellere debet Prælati est sanctitatis evidentia in exemplis dandis; quia tantum excellere debet actionem populi actio Præsulis quantum distat à grege vita pastoris. & ideo comparatur lucerna posita super candelabrum illuminanti totam domum. Et ideo sequitur: Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona &c. Et sequitur aliquibus interpositis quod Prælati per suam doctrinam & opera non debent legem destruere, sed ampliare. Hæc Nicolaus de Lira, qui multa alia ponit ad propositum, quæ gratia brevitate transcribere omitto hîc. Est ergo considerandum si dicti Dominus Papa & Cardinales in præterito decreto adviderunt & ista quatuor servaverunt. Et certè non totum, sed contrarium, salvo semper eorum reverentia & honore. Et utinam bene cognovissent præterita, & cuncta rimassent & circumspexissent, & novissima providissent, & verba Gregorii in homilia quam cantat Romana Ecclesia Dominica 1x. post Pentecosten ante eorum oculos habuissent, quæ dicit: *Maxima ruina populi ex culpa sacerdotum.* Et alibi legitur: *Omnia mala à sacerdotibus processerunt. Malach. 3. Et purgabunt filios Levi.* Et ibi notata.

Ad tertium principale dubium, quo queritur utrum supposito quod decretum præteritum valuerit, abjectio dicti de Capranica fuerit & sit admit-

tenda, & an ex eo quòd ad electionem non fuit admissus, electio Romani Pontificis fuerit nulla &c.

Videtur primò quòd ad electionem idem de Capranica debuerit admitti. Decretum enim dicit quòd quatuor Cardinales in eo nominati ad electionem futuri Pontificis admittentur. Ista est omnino collectiva & pluralis, quæ resolvi debet in singularitate. Hæc tantum operatur quod quatuor singulares orationes divisim prolatae. Quòd admittantur Dominicus Ilerdensis ad eandem electionem, Dominus Prosper de Columna &c. & de Capranica &c. probatur ff. *de condit. & demonstr. l. Falsa. §. si.* Vbi textus est quòd si testator legat libertatem duobus servis suis, vel alteri eos legavit si sui essent tempore ejus mortis, si unus istorum alienatus vel manumissus, alter servus veniet in legato, quia illa pluralis oratio tantum operatur quantum duæ singularitates divisim prolatae. Facit quod notatur de re. jur. *Pluralis locutio* per Dylum & alios, ubi sunt concordantes. Sed ad propositum. Quamvis per Dominum Martinum tres ex istis quatuor sint in ejus vita admissi, restat quòd Capranica non admissus in vita admitti debuerit post mortem ad electionem, quodque factum non fuit videtur nulliter actum. Facit quòd notatur *Cod. De impub. & aliis sub l. Quamvis. & l. Cum quedam.*

Sed iis nonobstantibus dico contrà, videlicet quòd admitti non debuit, imò contemni potuit, quia, ut suprâ dictum est, decretum fuit nullum, & non præstat impedimentum quod de jure non fortitur effectum; ut in regula juris, *Non præstat*, lib. vi. cum concordantiis. Et hæc responsio posset sufficere.

Præsupponendo sine præjudicio, & non concessio, quòd valeret & esset decretum aliquod, est advertendum in facto quòd præsumsum decretum factum

extitit anno millesimo ccccxxvi. & de mense Maii, post quod tres ex Dominis ibi nominatis fuerunt publicè ad cardinalatum assumpti per eundem Dominum Martinum, isto de Capranica spreto. Quod non fuit sine causa, quæ statim proderet. A tempore enim decreti usque ad obitum dicti Domini Martini fluxerunt sex anni vel circa. Quo pendente tempore dictus de Capranica & Dominum Martinum & Ecclesiam graviter offendit tam super facto & rebellionem Bononiæ quàm aliàs, ut audivi à fide dignissimo. Ex quo præsumitur Domini Martini mutatio voluntatis. Argumentum voluntatis optimum ff. *De confir. tu. l. In confirmando. & l. Utilitatem.* Ibi enim dicitur de tutore in testamento dato, post ejus dationem testator diù supervixit & mores mutavit, vel testatorem offendit, quòd ex hoc præsumitur testator voluntatem mutasse, & ideo iudex illum in tutorem dare vel confirmare non debet propter causam supervenientem. Et ideo dicit Baldus in dicta lege *In confirmando*, super verbo *fin.* in proximo sic notat, quòd facilius præsumitur durare voluntas de proximo quàm de longo.

Et ista ratio fortè movit vel movere potuit Dominos Cardinales qui eundem de Capranica ad electionem non admiserunt. Facit *l. Sancimus.* & quod ibi notatur *Cod. De testam. & ff. de probat. l. Procula.* in ratione sui. Aliqui alii dicunt aliam causam fuisse: quæ si vera esset, non foret honesta. Et ideo amplius non aperio. Non enim debet quicquam probabiliter asseverari. ff. *De accip. l. Iulianus. in principio.* Licet tamen omnino fama de hoc volet.

Item etiam advertendum in facto quòd prætensum decretum non ligat Cardinales futuros. De futuris enim nulla sit mentio, licet generaliter inhibeat omnibus & singulis Cardinalibus. Quæ generalis locutio tantùm intelligitur de præsentibus. ff. *De auro &*

argent. l. Si quis ita. & De legat. 2. l. si. ubi est textus notabilis. Et maximè hoc debet ita intelligi & restringi in materia pœnali, scandalosa, odiosa, & à jure communi exorbitante, juxta regulam Odis restringi. De reg. jur. ff. De pœn. l. si. de interpretatione. & l. si preces. cum concord.

Post quod prætenſum decretum tres ex Dominis ibi nominatis fuerunt ad cardinalatum assumpti, & etiam plures alij, videlicet Arelatensis, Novariensis, sancti Petri ad vincula, Rothomagensis, sancti Angeli, de Columna, qui auctoritate dicti decreti non fuerunt ligati nec inhabilitati aut excommunicati, quia postea assumpti. Supposito igitur sine præjudicio veritatis sive concessio quòd Domini Cardinales in decreto seu cedula subscripti fuissent excommunicati vel ad electionem inhabilitati, isti postea assumpti in electione interfuerunt & D. N. Papam elegerunt; quibus nulla inhabilitas potest obici. Et per consequens canonica fuit & valuit D. N. Papæ electio, si isti omnes noviter postea creati vel eorum duæ partes, aliis inhabilibus, in electione consenserint, ut dicitur cap. *Licet de vitanda*; etiam si Papa esset excommunicatus vel aliàs inhabilitatus. Nulla enim exceptio excommunicationis vel etiam hæresis præcedentis contra eum qui à duabus partibus electus est potest opponi, quasi ab eo sublata sit omnis in Ecclesia, cum sit mutatus in virum alterum &c. Et sunt textus expressi in dicto cap. *Licet* & eod. tit. *Ne Romani. §. Porro.* in Clem. Et notatur in dicto cap. *Licet* per Innoc. & Henric. post omnes. Clarè & aperte loquitur textus.

Item est advertendum quia in facto ponitur quòd in electione prædicta duo ex Dominis Cardinalibus de subscriptis expressè protestati sunt quòd dictus de Capranica admitteretur, quem & in quantum in eis est admitti voluerunt, Et si isti duo de subscriptis non

fuerint excommunicati vel inhabilitati ex quo per eos non stetit. Præmissis igitur omnibus cessantibus, licet non cessent, isti duo potuerunt Papam eligere, aliis inhabilibus existentibus. Duo enim tunc sufficiunt, & notatur *De elect. c. 1.* Et idem notatur eod. cap. *Licet.* per Ægidium Avinionensem. Et notatur eap. *Vbi majus*, super verbo *Cardinal.* per Archid. & Iohannem Monachi, & in dicta Clem. *Ne Romani* per Paulum. Plus dico, quod etiam unus solus hoc casu eligere potuisset, ut notatur *De postula. prala. c. Quantum* per B. qui plenè disputat & ita eleganter concludit. Facit quod notatur *Ne sede vacante c. 1. §. 1. lib. vi.* per Iohannem Andreae.

Sed fortè mihi dicatur quod probandum esset in facto quod illi duo qui fuerunt protestati vel alij post decretum creati vel eorum major pars elegerit D. Eugenium; cuius probatio videtur difficilis, cum nullus alius sit inter eos duos Cardinales. Quod si non probetur, præmissis veris existentibus quod alij fuerint inhabiles, electio non videtur canonica, cum requiratur consensus duarum partium, ut dicto cap. *Licet.*

Ad quod responderetur quod licet quæstio sit in facto an illi vel eorum major pars elegerit, tamen supposito deteriori & fortiori, quod electioni prædictæ illi tunc non consenserint, quia tamen omnes & singuli Cardinales post electionem prædictam eundem Dominum Eugenium ad osculum tamquam Papam receperunt, & in cathedra & sede Petri posuerunt, eundem adoraverunt, & in summum & universalis Ecclesiæ Pontificem, Christi Vicarium, & Petri successorem susceperunt, & eum talem esse omnibus Christianis & catholicis Principibus populi scripserunt & denuntiaverunt, ac eundem coronaverunt, (quæ coronatio est ultima Papæ electio, ut notatur in dicto lib. vi. per glos.) eidemque nihilominus per

duos annos & ultra ut tali obedierunt, & omnes & singuli obediunt eidem, etiam omnes Reges & Christiani Principes de præfenti, certè ex iis omnibus sic publicè & notoriè peractis omnia vitia, si quæ fuerint, & electionum varietates sunt ad unitatem & unum redactæ, quia prædicta post electionem ipsam sunt publicè & notoriè peracta secuta, omnia impedimenta, si quæ fuerint, expirata sunt & purgata, & purgarunt ac si à principio omnes vel duæ partes eum elegissent, & ex illis postea secutis eidem Domino Eugenio novum jus, præmissis objectionibus cessantibus, in papatu acquisitum fuit, ut elegantissimè notat. Hostiensis in dicto cap. *Licet. §. Præterea*, super verbo à *duabus partibus*. In electione enim summi Pontificis sunt multa specialia quæ enumerantur octo. Sed dictus Dominus Ægidius Avinionensis Episcopus enumerat ibidem tredecim.

Item Compostellanus elegantissimè & multùm notabiliter loquitur in hoc articulo, quem sequitur Novellator, de Ancarano, Ægidius, & alij in cap. *Transmissum* De elect. dicentes quòd etsi nulla sit electio, vel de ea non appareat, si tamen ab omnibus Cardinalibus recipiatur & eum Cardinales ita publicè fateantur, præsumitur electio canonica præcessisse, & talis investitura vim collationis habet. Eis enim credi debet, quia nullus est cum eis in electione, & plus est voluntatem suam factis quàm verbis declarare. cap. *Dilectis*. De pœnis. *Degradatio*. lib. vi. ff. *De iis qui notantur infamia*, l. 2 §. *Ignorantia*. & de *adilit. edic. l. 1. Si dictum. §. si*. Tamen facit ad præmissa c. *Ex ore*, De iis quæ fiunt à majori parte capituli.

Nunc restat formaliter respondere ad rationes supra in contrarium factas de oratione plurali, quæ resolvi debet in singularitate &c. Ad quam satis responsum est, & quia etsi ita esset, & quòd ille admitti debuisset, licet non debuerit, ea quæ supra dicta

funt, tamen hoc non obstante valuit electio. Sed ad dictam rationem potest particulariter responderi multipliciter. Primò generaliter quòd illa est ratio scholastica apparens & non existens in casu nostro, & ideo scholasticis relinqui potest disputanda, & maxime quia materia Brocardica est, ut notatur de re. jur. *Pluralis locutio* per Dynum & alios & Instit. de jur. perso. in principio per Io. Fa. & ff. *Si quis es. Si servus. §. Si pluri.* per Alber. de Rosate post omnes alios. Vel aliter specificè responderetur quòd pluralitas resolvitur in singularitatem in materia favorabili, ut in l. *Contraria*, ubi de libertate agitur. Secùs autem in materia odiosa, ubi sequeretur absurditas vel inconveniens, ut in casu nostro, ubi est pœna, & sequi poterant mala, abusus & absurditates, de quibus suprà secundum Bartholum. Vel aliter. Vbi pluralis locutio fit pluribus collectivè vel conjunctim, tunc non resolvitur in plures singularitates. Et ratio, quia mens & voluntas proferentis est inspicienda. Hic autem mens & voluntas proferentis erat de quatuor admittendis, non de uno solo. Ita notatur ff. *Si quis casu. l. Si servus. §. Si plur.* per Alber. post alios. Item non erat res in eodem statu tempore electionis, quia tres ex dictis quatuor erant admissi. Ergo &c. ff. *de solv. l. Cùm quis in principio.* ex. de jurejur. cap. *Quemadmodum.*

Item propter unum vel duos nec plus vel minus. *De consec. di. 1. Revera.* Et ibi notatur in proemio Decretalium. Et ideo pluralitas non potest resolvi in singularitatem hoc casu, cùm pluralis locutio non verificetur in uno. ff. *De testi. l. Vbi minus.* & de reg. jur. l. 1. *Pluralis locutio* per Dynum. Item decretum dicit quòd casu dicti quatuor non admitterentur &c. Hic autem quatuor non fuerunt repulsi, sed unus solus; & ideo non verificatur dicta pluralis locutio in illo, quia voluntas proferentis repugnat; quæ tamen

ante omnia est respicienda, ut supra dictum est.

Item aliter dici potest quòd ubi est dispositio per verbum collectivi & pluralis numeri facta, resolvi potest in plures singularitates concernentes unum & eundem effectum; sicut in casu nostro, ubi de electione actum fuit, & ad illum effectum solum facta fuit. Tunc non fit resolutio in plures singularitates, ut est casus in dicta l. *Quamvis* & l. *Cùm quid*. Cod. de impub. & aliis substit. Vbi dicitur quòd substitutio pupillorum facta pluribus conjunctim non resolvitur in singularitates. Secus autem ubi ad diversos fines & effectus tendunt, quia tunc fit resolutio in singularitates, dicta l. *Falsa* §. *si per contr. alleg. cum concord*. Ita eleganter notatur in dicta lege *Quamvis* per Ia. Britonem & Salicetum, qui notabiliter loquitur. Et idem sequitur Bartolus in dicta l. *Falsa* §. *si*. Et ita apparet multiplex solutio ad l. contrariam allegatam. *Quamvis* hæc fuit superflua, quia supra satis responsum erat ad sufficientiam bene indifferenter. Et ideo concluditur evidenter quòd Cardinales ipsi debuerunt & potuerunt contra dictam scripturam eorum venire, ex quo non valuit & à jure prohibita fuit. Cod. *De agric. & censit. l. Quemadmodum. & notatur lib. x. & C. de pact. l. Pacta qua contra*. Et notatur in l. *ple. de pact.* in tribus oppos. per Baldum & alios Doctores. Et hoc de tertio & ultimo dicto sufficiat.

Verùm mihi dictum est post præmissa, videlicet quòd de usu & observantia & consuetudine Romanæ curiæ est quòd in materia promotionis & assumptionis Cardinalium fuit & est usitatum quòd ex quo aliquis est in secreto consistorio per Papam & Cardinales nominatus vel electus in Cardinalem, quòd ille pro Cardinali habetur & reputatur inter eos in omnibus. Quod cùm audivi, non credidi, nec credo ita esse, Et causa est, quia jura probant contrarium. Dicit

enim textus legis quòd si legaretur alicui Seio, si Consul factus fuerit, ut vivo testatore Consul designatus, id est, electus, extiterit, nisi vivo eodem testatore, Consul cum ingressus fuerit; non habebit legatum. Non enim sufficit sola nominatio, designatio vel electio nisi vivo testatore per ingressum honoris fuerit actus perfectus & consummatus. ff. de condit. & demonstr. l. Publius Mævius in principio, Vbi est expressum. Vbi notat. Baldus quòd ad perfectionem alicujus honoris vel officij tria exiguntur, primò electio, secundò acceptatio, tertio possessio seu ingressus: quorum si alterum desit, non meretur dici honorem aliquando vel officium adeptus. Et hæc ibi probantur. Similiter notat Dynus in beneficiis ecclesiasticis & feudis in quibus hæc tria requiruntur. De reg. jur. cap. Beneficium, lib. v i. Addunt Doctores & quartum, videlicet quòd requiritur juramenti præstatio. Nisi enim præstiterint juramentum solitum, sunt extrà mittendi, ut notatur in pace Constantiensi per Baldum notabiliter super verbo *Vassalli*. & 3. q. per eum disputata quæ incipit *Apulus Castrum progenitor*. Hic autem in casu nostro, etsi constat de electione vel nominatione, non tamen constat de acceptance in vita Papæ, vel saltem non constat de publicatione in consistorio publico, nec de capelli rubei traditione, juramenti præstatione & aliis ceremoniis quæ in talibus notoriè fieri solent; & per consequens non meruit in vita Domini Martini nec post dici meretur Cardinalis per prædicta. Etiam dicunt canones de Archiepiscopo quòd non debet se Archiepiscopum nominare quousque receperit Pallium nec facere quæ archiepiscopali dignitati incumbunt, quia cum pallio recipit nomen Archiepiscopi. Notatur authenticè *De usu pallij in c. Nisi*. Item nec Episcopus ante consecrationem debet dici vel nominari Episcopus, nec priùs potest ea quæ Episcopo

incumbunt spiritualiter exercere. *De elect. Transmiss.*
 & *De prebend. c. De multa. per Innoc.* Nec ejus vacant
 beneficia ante consecrationem ipsam vel lapsum tem-
 poris ad eandem suscipiendam ordinatum. *De elect.*
Cum in cunctis. §. Cum verò. Nec Imperator dici de-
 bet nec nominari nisi imperiales susceperit infulas.
Cod. De quadrien. prescript. l. vi. Bene à Zenone. in
fi. & quod ibi notatur per Cynum, Raym. & Albe.
 in dicta lege *Publius* per Baldum, & notatur *De jure*
jur. Romani Principes. super verbo, Reges Roma-
 nos in Clem. per Ioh. And. & alios & idem Ioh. Andr.
 post . . . in spe. De rescriptis. §. fi. Et ideo quicquid
 sit de usu & observantia, istam credo juris veritatem.

Et ut finem verbis imponam, pro finali meorum
 scriptorum conclusione dicam quòd sanctissimo Do-
 mino Nostro Eugenio vero summo universali Ponti-
 fici dirigam verba beato Ambrosio in Episcopum Me-
 diolanensem electo ad ipsius confortationem per Va-
 lentinianum Imperatorem dicta: *Noli timere, quia*
& Deus, qui te elegit, semper te iuvabit. Et spero
 quòd Serenissimus Imperator, qui cum eodem esse
 presentialiter asseritur, eidem pariter subjungendo
 verba quæ ibi sequuntur dicet, quæ sunt hæc: *Et*
ego adjutor & defensor tuus, ut meum ordinem decet,
semper existam. 63. di. *Valentinianus.* ad fi. Et alibi:
Iustitia liberabit te. Proverb. 10. Et etiam veritas,
 quæ apud Esdram vincit, ubi scriptum, *Veritas valet*
& invalescit & in æternum vivit & obtinet in secula
seculorum. Esdræ 10. Io. 8. di. 8. cap. *Consuetudo.* Spe-
 ro enim firmiter in verbis quæ ipsa veritas Petro dixit
 Luca 22. *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua.*
 Et quamvis Petri navicula fluctuet, perire tamen non
 potest, prout non peribit duce Domino in æternum.

De materia autem quæ principaliter tractatur in sa-
 cro Basiliensi Concilio non tango, quia nescio puncta
 principalia super quibus dubitatur vel agitur. Dicun-

tur tamen multa quæ assèruntur fundari super constitutionibus & decretis Constantiensis Concilij, quæ facta fuerunt pro magna parte, ut fertur communiter, sede apostolica vacante. Si ita sit, nescio. Quæ sedes Dei gratia non vacat, sed plena est de præsentibus. Et ideo si ita sit, videretur irreprehensibile iudicandum si secundùm varietatem temporum statuta varientur humana. *De consang. & affinit. cap. Non debet. in princ. concord.* Item illi contra quos tunc processum fuit alia gravia valde non solum commiserant, sed egerant longo tempore & commiserant contra Dei Ecclesiam. Quòd præfatus Dominus noster commiserit, absit ab eo, & iterum absit quòd scandalizaverit Ecclesiam, sicut illi scandalizaverunt & turbaverunt, quòd ita rigidè debeat contra eum procedi. Non enim fuit in sede sua pacificus per biennium. Et ideo altercatio videtur reformare pactum. *Codic. De transact. Concordanter scripturæ. Cod. De fur. l. Apud antiquos.* ut ibi notatur. Hoc dico solummodo; super quibus amplius clavum non laxo. Paratus sum tamen pro veritate certare, scribere, & laborare, si sim certus in facto. Super quibus &c. Salva semper determinatione dicti sacri Concilij. Quæ omnia submitto veritati & correctioni ac emendationi cujuscunque meliùs speculantis, protestationes in principio positas repetens.

Ex Aquis in provincia Provinciæ anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo tertio die XIII. mensis Augusti, pontificatus dicti Domini Nostri Eugenii quarti anno tertio.

Ego Jordanus Bricii Miles, utriusque juris minimus professor, consistorialis Advocatus, Provincia Index major, manu propria.